DE METHODO SCIENTIARVM, ATQVE ARTIVM LIBRI VI,

AD ARISTOTELIS, ET GALENI, Aliorumq; Veterum Doctrinam rectè intelligendam vtilissimi,

AVTHORE FRANCISCO TERRILIO Genuensi summæ eruditionis viro, Philosopho, ac Medico præstantissimo,

Nunc primùm in lucem editi cum rerum, & locorum insignium plenissimo INDICE.

AD ILLVSTR. ET REVEREND. D. D. CIPRIANVM PALLAVICINVM Archiep. Genuen.



BONONIAE, Apud Io. Rossium. MDLXXXI.
Curiæ Episc. & S. Inquisit. concessu.

DE METHODO SCIENTIARVM, ATQVE ARTIVM LIBRI VI.

AD ARISTOTELIS, ET GALENI,


Aliorumq; Veterum Doctrinam recte intelligendam vtilissimi,

AVTHORE FRANCISCO [illegible]

[illegible] iuuenis eruditissimo viro, Philosopho, ac Medico praestantissimo,

Nunc primùm in lucem editi cum rerum, & locorum insignium copiosissimo INDICE.

AD ILLVSTR. ET REVEREND. D. D. CIPRIANVM PALLAVICINVM Archiep. Genuen.



BONONIAE, Apud Io. Rossium. MDLXXXI.
Cum [illegible] Episc. & S. Inquisit. concessu.

ILLVSTR. ET AB OMNIBVS SVMME

colendo, venerandoq́;
viro,

CIPRIANO PALLAVICINO ARCHIEPISCOPO GENVENSI.

Franciscus Terrilius S.

NON ignoras, Cipriane, nos ita factos esse, vt natura ad ea cognoscenda trahamur, quæ vera, & falsa, bonaq́;, ac mala sunt, & ob eandem hanc

causam nobis attributam fuisse rationem, qua de his nobiscum semper inquirere possemus, sed feliciter ne, an minus feliciter, minusq; fortunatè istud nobis contigerit, nisi molestum tibi est vnà mecum animo tuo de hoc aliquantulum considera. Abstrusa sunt omnia; Veritas crassis tenebris occultata latet in profundo; ratio nostra corpore impeditur, ne ad eam percipiendam penetrare valeat; Ita vndequaque nobis aditus ad ipsam interclusus est; quid igitur sibi vult tam ardens in nobis desiderium sciendi? an vt multis laboribus frustra in hac re cõsumptis ad extremum quasi desperati aliqui exclamemus nihil percipi, nihil sciri à nobis posse, quod plerisq; ex veteribus Philosophis euenisse certò scimus. Aut quod turpiùs

for-

fortasse, & peius etiam est, boni, rectiq; specie decepti, ea pro veris, ac bonis habeamus, quæ talia non sunt? Sed totius huius infelicitatis culpa in nobis ne, an in natura sit, attende quæso, Cipriane, & quæ tua est magnitudo ingenij, ac doctrinæ præstantia, de hoc iudica. plerisque rebus accidere videmus, vt si vno modo fiant facilè, & absq; errore efficiantur, quas easdem si quis alia via perficere conetur, has ne summis quidem laboribus vnquam confecerit, idq; in ijs, quæ in cõmuni vita nostra versantur, & arte ab hominibus fiunt, euenire clarè cernimus; cui enim fermè non sunt audita, quæ Archimedes vir excellentissimo ingenio, & singulari quadam arte præditus in obsidione patriæ suæ gesserit? minimis quibusdam instru-

mentis eas hoſtium machinas diſturbabat, quas ne ſumma quidem vi mul ta millia hominum, aliter loco ſuo dimouere potuiſſent, ex quo illud perſpicuè intelligimus in rebus perficiendis plus artem, & rectam rationem, quàm vires, & laborem ſummum poſſe, quod idem etiam in illis reperiri, quæ percipere volumus, non eſt difficile cognoſcere; nam licèt tenebris obſcurata ſint omnia, & à ſenſibus noſtris remotiſſima, tamen via quædam ad ipſa patet, quæ rationem noſtram ad intelligentiam eorum rectè ducere poteſt, quam niſi quis ab initio ſibi ad quanque rem cognoſcendam diligenter præmuniat, is in ea rudis ſemper erit, & omnẽ laborem in illa perdiſcenda inutiliter abſumet, quod ita eſſe ex ijs perſpici poteſt, qui

huius

huius viæ ignari de aliqua quæstione,
aut disciplina monumentis suis expli
care sunt conati, nullius enim rei fir-
ma, & stabilis cognitio ex horum scri
ptis percipitur, ob quod nullam lau-
dem meritò habent, sed tota eorum
doctrina à quouis iure exploditur, se-
cus autem de ijs est, qui ad huius viæ,
de qua hîc loquor, normam omnia,
quæ tradunt, dirigunt; etenim Gale-
nus in tantum honorem ideo ascen-
dit, quia medicina tota ad huius regu
lam ab ipso explanata fuit, vnde is
hanc sibi magistram proponens eius
adminiculo ea inuenit, quæ huius me
thodi rudes vix hominum ingenijs re
periri posse putant; tanta etiam do-
ctrina, ingenijq; gloria semper flo-
ruit Aristoteles, quoniam ipse primus
hanc methodum vidit, ipse primus
scri-

ſcriptis ſuis eam expreſſit, & quam vim habeat in ſcientijs, & artibus nos docuit; ſed difficile admodum factu eſt ex monumentis eius eam intelligere, nec aliquis interpres ipſius quidquam perfectè de hac ſcriptum nobis reliquit; Itaq; nos, quæ ad hanc pertinent ex multis eius libris collegimus, & hîc diſtinctè totam illius vim, atq; rationē explanare conamur; ad teq; Cipriane, hæc qualiacunq; ſunt nūc mittimus, non vt aliquid te docere nobis propoſitum ſit, nam ineptè quiſq; ſemper iſtud fecerit; ſed egregiam animi mei voluntatem erga te hoc modo tibi notam facere volui, ſimul etiā putaui iſta non ingrata tibi fore, namque viuis in iſtis libris, ſemperq; in eis vixiſti, atque te iſthæc ſtudia iure optimo valdè delectant, habent enim pro

poſi-

positam illam sapientiam, quæ sola luce in tantis tenebris nobis datur, solaq; perfugium, ac solatium in hac vita, post mortẽ verò quàm maxima bona cuique præbet; ista igitur, cum tibi otium erit, in manus aliquando sumes, atque cognosces, quòd si non valdè admodum tibi displicebunt, confido ipsa eruditorum omnium iudicio sic comprobari posse, vt quisq; aliquid vtilitatis ad studiosos ipsa allatura esse meritò existimet.

LIBE-

LIBERALIVM ARTIVM, ATQVE DOCTRINARVM STVDIOSIS.

LIBROS istos de methodo scientiarum, atque artium primùm iuncta, & tota inter sese nexa oratione (vt meus est mos) perscripsi, post cum quidam ex nostris eruditus, & in scientijs exercitatus in manus eos sumpsisset, & diligenter cognouisset, summè sibi probari illos dixit, addidit autem omnia quidem in istis dilucidè tradita esse, sed tùm magis ipsa perspicua fore, tùm facilius posse commendari memoriæ, si distinctius ea exposita sint, id cum mihi placuisset, statim librum quenq; in capita partiri cœpi, atque

atque vt nihil relinqueretur, quod aliquod lumen cuique loco dare posset, singulis capitibus declarationes aliquot, atque argumenta adiunxi, & in his scribendis, vt res ipsa, & tota explicatio esset illustrior, non dubitaui explanatoris personam mihi imponere, nec in hac re quidquam feci alienum à consuetudine vetustissimorum, & præstantissimorum virorum, quos scitum est hoc genere loquendi interdum vti; Itaque eos istis ornatos nunc foras do, hortor autem omnes, qui studijs suis magna quædam sibi proponunt, vt hos frequenter in manibus habeant, nam si alicui nota fuerit hæc forma methodi, is & ad philosophiam perdiscendam, & ad alias quasque quæstiones rectè explanandas se mirabiliter instructum esse sentiet, nec magnus (vt opinor) erit labor hanc to

tam

iam ex his libris intelligere, nam ipse sic eam explicare hîc conatus sum, vt non solùm mente, & animo percipi, sed oculis cerni, & manu propè teneri possint, quæ ad hanc pertinent, si id assecutus sim necne, ij iudicabunt, qui his studijs doctrinarum delectantur, à me certè, vt id perficerem, summè laboratum fuit.

BAL-

BALTHASARIS CORRADI GENVENSIS, AD LECTORES CARMEN.

A*Lta sedet septem Sapientia cincta sororum,*
Lætaq; consessu, dulci certamine mentes
Prouocat ad verum, varijs ac artibus vrget
Ingenium, sumptos fructu mulcetq; labores
Aeterno, celsaq; homines incendit ab arce.
Omnia conueniunt iam, mens studiosa, locusq;,
Ars, animus, ratio, summi fructusq; laboris,
Sed via sola manet, via sola moratur euntes.
Auia nunc reuocant, nunc cæca ambage viarum
Fallimur, atq; viæ tanta est fallacia rectæ.
O iuuenis, Franciscus adest Terrilius, ille
Inuentæ Ingenio Ductor celeberrimus Artis,
Qua tibi monstratur Methodus, ratioq;, viæq;,

Et filum, cæcos quo tu vitare reflexus
Errorum, dubiosq; potes transire Meandros,
Optatas veriq; domos mirabere tandem.
Hoc duce carpe viam Sapientia sacra, Sorores,
Inde pererrantes nullo discrimine ducunt.
Sis memor, ac Illi, qui iam tibi uiuus opellam
Præstitit, heus vita functo placare tonantem.
Nam miser hic Patriæ dum vult succurrere, raptus
Dira peste loci, immatura est morte peremptus.

FRAN-

FRANCISCI TERRILII DE METHODO SCIENTIARVM, ATQVE ARTIVM,

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

¶Declarat in his libris de regula illa, & via differi, qua Ratio nostra de rebus inquirit, & ostendit hanc ex prænotione constare.

CVM propositum nobis hoc in loco sit, eam viam, atq; regulã inquirere, quæ Rationem nostrã ad rerum cognitionem capiendam perfectè dirigit, antequam de ea explicare incipiamus, quæ, qualisq; ipsa sit, visum est locum Aristotelis hic proferre, & illum breuiter explanare, qui totam hanc viam, & rationem in se ipso admirabiliter inclusam continet. Itaq; ipse in principio primi libri de Demonstratione, sic scriptum reliquit : Omnis

doctrina, & omnis disciplina, quæ ratione constat, ex prænotione gignitur. *Sed quæ sententia huic orationi subsit, & quam ob causam Aristoteles in initio illius libri eam posuerit, satis arbitror in commentarijs nostris explicatum fuisse. Nunc illa narrabimus quæ præcipuè ad id faciunt, q̄d in præsenti declarare volumus, et incredibilem eruditionis magnitudinē habent. nā magnus est locus, nec dici potest, quāta doctrinæ vis in eo recōdita sit. Quisq; videt hac oratione contineri methodū, qua Ratio nostra ad Ar- es, et Sciētias explanādas, atque inueniēdas dirigi debet. et item ad illa oīa quæ pcipere cupit; licet. n. in primis declaretur doctrinam demonstrationum esse tradendam methodo, quæ constat prænotione, sicut à nobis expositum fuit: tamen ipsa oratio latissimè patet, & ad omnes Artes, atque Scientias pertinet, et ipsa ostenditur etiàm verò regula, atque norma, qua vnaquæq. scientia tum inueniri, tum doceri habeat. Quod quidem ex verbis ipsius Aristotelis facilè percipi potest: nam si quæque scientia, & ars traditur, & discitur prænotione aliqua, non potest dubitari quin ad eas & reperiendas, & declarandas, sit adhibenda*

benda methodus, quæ constat ex prænotione. Ex quo non solùm doctrina demonstrationum, quæ in illis libris declaratur, erit & inueniẽda & tradẽda methodo, quæ fit ex prænotione: sed item quælibet ars, et scientia. Atq́; si quis vim cuiusq́; verbi diligenter secum contempletur, istud hoc loco significari omnino reperiet: nam doctrina *tum habitum illum significat, qui est rei cognitio, & scientia, tum alterum, quo recta ratione, rei natura explananda est, & vterque prænotione gignitur. Idq́; declaratur exemplis, quæ ipse ponit; nam ait Mathematicas scientias, & alias Artes gigni prænotione. Et ita his ostenditur habitus, qui est rei cognitio. Post enumerat modos, quibus is habitus declaratur, & dicit eos similiter fieri prænotione. Et quoniam non solùm traduntur in scientijs, & artibus, quæ iam inuenta sunt, sed etiam inquiruntur, ea quæ ignota habemus, & pertinent ad eum finem, qui cuiq́; ipsarum est propositus; ob id ad nomen* doctrinæ, *adiunxit vocem hanc* disciplinam, *quæ ratione constat. & hac voce significat ea quæ inueniuntur ratione, reperiri prænotione. & ita modus etiam, quo inquiruntur, necessariò prænotione consta-*

bit: nã discere Ratione, nihil aliud est, quàm aliquid reperire, dũ illud Ratione quærimus: vnde his duobus nominibus, docet nos totã viam; & rationem, quæ est apta ad scientias tradendas, & inueniendas; & vult eam prænotioni coniunctam esse, & huius rei rationem, ipse significat ea voce, quam addidit ad disciplinam, *idest* διανοητικῶ *vel quæ ratione constat, neq. enim ob aliud quiddam sola hæc ratio, ac via ex prænotione est necessaria ad Artes, & Scientias tractandas, nisi quia hæc omnia constat ratione, & sunt inuenta. Eius ratio verò, ità est, vt re aliqua nota, vel declaret, vel inquirat rem ignotam; duo enim sunt eius munera, tum quærere res ignotas, tum docere quæ cognita habet: atq. in his præstandis necessariò vtitur hac Methodo ex p̃notione, & nota re ostendit, vel inquirit rem ignotam, ob quod à* Grecis *rectè nominata est* διάνοια; *nec .n. aliud sonat hæc vox* διανοεῖν, *quàm* διὰ τῶν ἄλλων, *hoc est ex alio, aut per aliã rem aliquid intelligere, proptereá* διάνοια *est vis illa Animi nostri, quæ id munus efficit, vt semper re aliqua sibi nota, inquirat de ijs, quæ incognita ipsi sunt, vel explanet, quæ cognita habet. Ex*

hoc

hoc itaq; loco illud intelligitur, methodum eam qua scientiæ omnes, & artes, tum inueniuntur, tum declarantur, constare ex prænotione, aut prænotione vna, vel multis fundare inuentionem, & explanationem suam. Qua sanè re sic explicata, breuiter hic quærendum est, quænam qualisq; hæc ratio, & vna nè, an duo, vel plures sint: nam res hæc est tum ad cognoscendum præclara, tum ad scientias, & artes omnes cōprehendēdas summè necessaria. & quod est valdè admirabile in hac breui oratione, tota ab Aristotele quasi verborum inuolucris quibusdam occultata videtur: nam his duobus nominibus, ideſt doctrina, & disciplina, *que in hac oratione continentur, significat eam duplicem esse, vel duas partes habere, & hac voce prænotionis, qua etiam vtitur, declarat, quænam, qualisq; ipsa sit; etenim perspicimus ex hoc loco, eam habere in se prænotionem aliquam, & ab hac inchoare tractationem suā. Vnde si qua forma declarandi caret prænotione, ipsa non est accommodata ad scientias, & artes.*

CAPVT II.

¶ Explanat quibus nominibus, ab Aristotele hæc regula sit nominata, & de singulis disputat. Ac postremo docet à se in tota hac disputatione ipsam appellari methodum, & breuiter explicat quid illa sit.

SED iam locum hunc totum explanare aggrediamur, principiumq; totius huius explanationis nostræ sit ipsa definitio. Ponatur igitur à nobis in primis quid sit hæc ratio, ac via, de qua hic quærimus; sed prius pauca quædam de nomine ipsius differenda sunt, nanq; perspicuè apparet multis nominibus ab Aristotele in pluribus locis ipsam designatam fuisse. hic.n. profert duo nomina, quæ (vt dictum est) totam hanc rationem complectuntur: nam nomen doctrinæ *declarat modos omnes, qui ad explanãdas scientias, & artes apti sunt, quos paulò post, quatuor enumerat, idest Ratiocinationem, et Inductionẽ, Enthymema, et Exemplum, nec alij excogitari possunt, quibus cognitio rei alicuius declarari valeat: ex quo nomen* doctrinæ *eam partem ostendit, qua explanãtur, quæ iam inuenta in artibus, & in scientijs sunt. Nomen verò* disciplinæ *designat alteram partem*

iem huius rationis, ac via, qua inquiruntur ea, de quibus non scimus, & ex his duabus partibus tota hæc ratio constat, & denotatur ab eo his duobus nominibus. In primo autem libro de partibus animalium in initio, vocat eam habitum, *& dicit in omnibus scientijs, quæ versantur in sola contemplatione rei, & in alijs artibus omnibus, siue hæ præstantes sint, siue minus præstantes, reperiri duplicem habitum: alterum quidem qui est cognitio rei eius, quæ tractatur ab ea scientia, aut arte: alterum qui est recta ratio, ac via, qua talis rei cognitio percipitur. & docet hunc habitum posse teneri ab aliquo, etiam si is priorem non habeat, aut rei perceptionem non acceperit, & ob hanc causam nominat ipsum* οἷον παιδείαν τινὰ, *vel quasi institutionem quãdam puerilẽ; nam est fermè similis doctrinis, quibus pueri informari solent, idest artibus illis, quæ pertinent ad rationem loquendi, non autem cognoscendi. atq. vt ij, qui his artibus sunt instructi, idest qui tenent præcepta dicendi (nam hi propriè à veteribus græcis* πεπαιδευμένοι *sunt nominati, nec latinè quispiam eos peritos rectè dixerit) vt hi inquam, possunt iudicare de*

 omni

omni sermone rectus nè, an non rectus sit, & num rectè, an barbarè quispiā aliqua narret, etiam si non animaduertat an verè illa sint narrata, ità, is qui est informatus hoc habitu, iudicat de re ipsa, an rectè explanetur nec nè, tametsi non habeat scientiam rei, in hocq; aliqua dissimilitudo inter ipsos est, quòd habitus, qui est ars loquendi, totus versatur in ratione sermonis, nec aliud scit, nisi formam eius rectam esse, aut non rectam: & ob istud potest iudicare de quocunq. sermone, qualiscunq. res ab eo explicetur. Alter verò, qui est quasi institutio puerilis, nouit modum, & formā, qua res quæq; est exponenda, & de ipsa iudicium facit: sed hæc forma mutanda est pro rei natura quæ tractatur. vnde fit vt is habitus sit proprius cuiq; disciplinæ, & rei, quæ ipsa explanatur, quod, non ita est in habitu, qui reseruatur in ratione loquendi. In fine autem eiusdem libri vocat, hunc habitum methodum, *nam ita scribit*. Atq. de forma methodi tot à nobis sũt dicta, *et designat hac voce eum habitum, quo explicanda est natura Animalium, de quo ibi ea omnia disputauerat, & alibi etiam est videre ipsum posuisse hanc*

vocem pro hoc habitu.quanquam & in multis aliis locis hoc nomine intelligit,alterum,qui est rei cognitio, siue res illa sit ex ijs, quæ à nobis fiunt, aut ex ijs, quæ geruntur, aut ex illis, quæ tantum cognosci possunt: & ob hoc, nomẽ istud apud ipsum, tum artes, tum scientias etiam declarat, quas propterea ità nominari ab eo existimandum est; quoniam via quadam recta, tum inuenta, tũ explanata sunt; nanq; ex hac voce methodi *apparet, hoc nomine viam ostendi: nec hanc solam, sed adiunctam ad aliud quid, ita illa notio ipsi subijcitur, quòd* μεθόδου*? idest via quadam quid declaretur, vel inueniatur, aut etiam efficiatur à nobis: neque enim excogitari aliud quispiam potest, in quo via hæc, quæ voce hac exprimitur, locum habere valeat: non enim potest ipsa à nobis accommodari ad aliquid, nisi ob eam caussam, quoniam illud ea via, aut declarare volumus, aut inquirere, aut efficere, ex quo propriè hac voce notabitur forma declarandi, vel inueniendi rem aliquam, & etiam efficiendi, modò id via quadam recta, & ordine à nobis agatur. atq. hæc quidem forma, quoniam à Mente nostra habetur, rectè* habitus *ab Aristo*-

tele

tele est nominata, istudq́; nomen probè in ipsam conuenit; nisi enim teneremus qua via, quid vel declarari, vel inueniri, vel effici potest, nulla in nobis methodus inesset: & quia eam mente tenemus, ob istud scimus modum, & viã qua hæc tractari valeant. Est igitur methodus hæc habitus, quo aliquid effici, explanari, aut inueniri via, & ratione debet: atq. ita iã expositũ est, quid propriè vox hæc methodus *declaret, cognosciturq́; ex his istud nomen non solùm pertinere ad habitum eum, de quo propositum est nobis in his libris inquirere, sed etiam ad artes omnes: quæque enim ars, nihil aliud est quam habitus, quo recta ratione opus aliquod efficitur, atque de hoc habitu nihil est à nobis hoc in loco quærendum; neque enim artes, aut scientias, hic tractamus, sed solùm de modo, & via inquirimus, qua quæq; ars, aut scientia rectè doceri, aut inueniri, aut tractari potest. quam etiam viam ostendimus, appellatione methodi esse declaratam: vnde methodus, de qua hic a nobis est disputandũ, erit habitus, quo recta ratione, et via, quæque ars, & scientia, tum inuenta fuit, tum explanari rectè potest, atque de hoc tota disputatio à nobis haben-*

habenda erit, & ad hunc o͞ia, quæ à nobis hic tradentur, referenda, aut accõmodanda sunt.

CAPVT III.

¶ Docet Logicam esse partem huius methodi; nam duas huius partes esse vult, vnam inueniendi, & alteram declarandi, Atque se prius de illa disputationem habere, quæ ad Inuentionem pertinet.

*Hac*q́ *re ita exposita, videndum deinceps, qualis is habitus sit, & num vnus aut plures. sed ante explanare oportet an iste habitus sit idem, qui et habitus Logices, aut ab eo sit distinctus o͞ino, vel habeat aliquid cũ ipso coniunctũ. sed constat logicam esse partẽ ipsius; neque.n.ipsa per se sola perficit hunc habitum; nam supra ostensum fuit, nomine tum* doctrinæ, *tum* disciplinę *ab Aristotele hunc habitum fuisse appellatum; quoniam duas partes in se ipso haberet. alteram quidem, qua, essent inquirenda ea, quæ non scimus, alterã, qua declaranda illa, quæ scita sunt. tota autem Logica id profitetur, vt doceat res cognitas, & illa rationibus confirmet: ob quã causam quatuor tantùm formas declarandi rem aliquam, et probandi ipsa persequitur; nec aliud quid tradit; nam de Ratio-*

cina

cinatione, & de Inductione, & Enthymemate, atque Exemplo solum disputat. & quæ ab ipsa explicata sunt, omnia ad hæc referuntur. Ex quo Logica erit pars illa huius habitus, quæ pertinet ad probanda ea, quæ didicimus, & quæ in artibus, ac scientijs, à nobis declarantur. & ipsa verè solum tradit viam, ac rationem, qua hæc rectè doceri possint: ob quod et arbitror ipsam ab Aristotele esse nominatam doctrinam. *sed alia pars inquirendi non explicatur ab ipsa Logica: perspicuum tamen est eam contineri in hac Methodo Scientiarum, atque Artium, de qua hæc tota disputatio à nobis hic habetur; nam si hæc methodus, illa omnia tradit, quæ necessaria sunt in cognitione rerum, profectò debet præcipere de hac ratione quærendi res ignotas: etenim ad capiendã cognitionem rerum non solum illud valet, vt ea rectè declarentur, quæ cognita sunt, sed, atque adeò fortaßè magis de ijs, conquirendũ, est, quæ nesciuntur. Ex quo affirmandum erit hanc methodum, ex his duabus partibus omnino constare, & has inter se distinctas esse apparet; nam aliud est quærere quod ignoras, aliud declarare quod nosti. vnde alia, atque alia via,*

via, in vtraq. hac re præstanda vtendum est. nos autem in primis de illa disputabimus, quæ primo nobis in rebus occurrit, idest de hac, qua quærendæ sunt res ignotæ. ostendemus igitur qualis hæc sit, & quomodo ad quamq. rem ignotam inuestigandam, adhiberi à nobis debeat.

CAPVT IIII.

¶ Inquirit an hæc methodus, qua rerum cognitio acquiritur, reperiri valeat. & docet ad extremum ipsam extare in rebus.

SED prius an ipsa reperiri possit explanãdum breuiter est; nanq. de hoc haud parua dissensio existit: etenim nobilissimis philosophis visum fuit, nullã hãc viã esse: nihil.n.ratione inquiri posse volunt. qđ ea ratione confirmãt, quia nec nota quæruntur: quoniam nota sunt, nec attinet ipsa inquirere, nec ignota propterea quæri possunt, quia ignota sunt. relinquitur ergo ut nihil quæri valeat. Sed hos refellit Aristoteles ea re: quia inter illa, quæ cognita sunt, & inter incognita, medias quasdam res esse cernimus, quas nec notas esse, nec ignotas aliquis rectè dicere valet, sed aliqua, ex parte cognoscuntur,

tur, aliqua, ex alia ignorantur. In his conquirendis aſsiduè verſatur noſtra Ratio, de his ſecum ſemper ipſa cogitat, & inquirit eas illa ex parte, qua ignorãtur, nec ipſa Ratio de ijs quærere valet, quas incognitas omni ex parte habet. Nam exempli gratia, ipſa inueſtigat, quæ cauſa gignat niuem tempore hyemis: quoniam nouit niuem eſſe, atq. niſi ante exploratũ habuiſſet eſſe niuem, nunquam quid de ipſa cogitare potuiſſet. Idq; ità eſſe in alijs rebus omnibus, quæ ipſi ſubijciuntur quisq; perſpicere poteſt, & id eſt inſitum nobis à natura. Vnde fit, vt omnis inquiſitio, quæ efficitur à Ratione, neceſſariò fundetur prænotione: & propterea clamat Ariſtoteles in initio primi libri de Demonſtratione, omnis diſciplina, quæ ratione cõſtat prænotione gignitur, *intelligitq; voce* diſciplinę *(vt iam ſæpè dictum fuit) eam inuentionem, & perceptionem rei, quæ capitur à nobis, dum inquirimus nobiſcum de ijs rebus, quas ignoramus. Atque ita quæſtio quæ propoſita fuit aliqua ex parte iam explanata eſt; nanq; oſtendimus poſſe reperiri materiam rerum, de quibus Ratio inquirit. Sed inueſtigandum adhuc reſtat, num aliqua certa via,*

&

& ratio in his sit, qua absq. vllo errore ad ea peruenire poßimus, quæ quærimus; etenim diceret fortasse quispiam, licet Ratio nostra semper in conquirendis rebus laboret, nec ab hac actione desistere poßit, tamen quæ nostra est infelicitas, & in rebus obscuritas, nihil discere valet, nec via vlla patet, quæ ad rerum intelligentiam ipsam ferat; nam veteres philosophos videmus, quasi dementes exclamare, nimis retrusa esse omnia, nec aliquid cognosci posse. Sed hos in tanta inscitia rerum fuisse, nullam aliam ob causam putandum est, nisi quoniã nihil de hac via scierunt, nec aliquid laborarunt intelligere, qualis ipsa esset. Ex quo non est mirandum, si à veritate aberrarunt; cum antè res quærerẽt, quam didicissent qua via ad illas peruenire possent: Rationem autẽ nostram sic comparatam natura esse, vt res cognoscere poßit, & ob eam causam nobis datam fuisse, illa declarant, quòd ipsa semper aliquid secum commentetur, & de aliqua re semper secum inquirat; nec ab hoc munere, ne punctum quidem tẽporis, atque nè in Somno etiam, abesse valeat. Itaque hac est natura eius, et ad hoc natura rapitur, ac quæ sua

est hæc natura, per se, & sine labore res omnes intelligere potest: sed corpore impeditur ne absq; studio, et accurata inquisitione illas percipiat; nam in his cognoscendis, sensus sibi adiutores adhibere cogitur, qui res illi contrario ordine subijciunt, atque sunt genitæ à natura. ex quo ipsas sic intuens, inquisitione quadam principia ipsarum, & caussas atque intimam essentiā inuenire conatur, atque ad istud præstandum, constat eam tum recta quadam via, quæ ad id, quod quærit, ipsam facilè ducat, tū alia transuersa, quæ longißimè ab ea, illā abducat, ingredi posse; nam sæpe illi euenit, vt id quod quærit omnino inueniat, sæpe etiā ab eo procul aberrat; etenim si recta quadam norma inquisitionem suam dirigit rei notitiā verè accipit: si verò minus recta dirigitur via, ab ea omnino depellitur. Igitur cum, & rectè, et minus rectè id ab ea effici interdū appareat, certè dici non potest, quin hæc recta via, & regula, qua istud ab ea rectè effici valeat, non poßit & inueniri et monstrari, & eadem Ratio sæpe de rebus quærendo, non valeat obseruare cuiusmodi, qualisq; ipsa sit, & post, præcepta de illa det, & eius totā formam doctrina quadam

dam

dam comprehendat, qua deinceps se ipsam instruens, veram sibi normam in quaque re quærenda proponat; & ea duce ad rectas rerum cognitiones semper dirigatur. hæcq; sine dubio est regula illa, ac via, quam veteres, nobis diuinitus traditam dicunt, vt ad res cognoscēdas ratio nostra aditum aliquem habere posset. estq; confitēdum in rebus ipsis reperiri; nam si de ijs, quæ Ratio facit, vel agit, præcepta ab ea colligi valent, quibus instructa in his faciendis nihil peccat, et rectè facta ab alijs distinguit qd causæ quæso CIPRIANE erit, cur istud idem in omnibus rebus, de quibus ipsa, quærit, & intelligere cupit, non valeat efficere? Atque quid ipsi obsistet, ne doctrina quadam modos omnes, & vias quærendi rectas colligat, quas deinceps in quaque re sibi proponens, ea quæ in tenebris sunt abstrusa, eruere valeat? certe nihil. Ex his igitur sic explanatis, iam intelligi potest tum viam hanc inquirendi in rebus inesse, tum doctrina declarari posse, quænam qualisque ipsa sit, quod deinceps iam explanare adnitemur.

CAPVT V.

¶ Ostendit prænotionem eorum, quæ postremò in re aliqua fiunt, esse principium huius methodi, & multa de hac re disputat.

Totiusque huius nostræ explanationis initium sumetur, ex loco Aristotelis, qui supra à nobis est expositus: nam inquit, Omnis disciplina, quæ ratione constat, prænotione gignitur, *idest quæ inueniuntur ratione, non autem sensu, aliqua via, vt reperiuntur, necesse est, & hac non potest esse alia, nisi illa quæ prænotione constat. vnde ad inuestiganda ea quæ incognita sunt, necessario ex quadam re iam ante percepta, nos ire oportet: quæ verò ante à nobis percipi possunt quam rem totam comprehendamus, vel sunt prima rei initia, vel quæ postremò in illa fiunt; nam alia non possunt percipi nisi res nota sit. Ex quo duæ tantum rei alicuius prænotiones haberi possunt, & altera pertinet ad prima rei principia, altera ad illa quæ postrema in eis sunt: sed ex primis initijs non licet reperire omnes rei partes; neque enim in his continentur, sed alia opus sunt in re gignenda, quæ nullo modo possunt ex his compre*

prehendi; quoniam in eis non sunt, nec aliquid inueniri potest, nisi vbi est. Ex quo prænotio primorum principiorum, non dat nobis aditum vllum, ad inueniendum ea, ex quibus res aliqua est genita, aut gigni habeat. Altera igitur prænotione, quæ est illorum, quæ postrema sunt in re, nobis in hac via inquirendi vtendum est; nam hæc si sint præcognita; aperiunt aditum ad inuestigandas reliquas omnes partes rei; etenim superiora semper continentur in posterioribus, fiuntq; propter ipsa, & omnia ob postrema. Ex quo fit, vt ex his illa inueniri valeant, & in his inclusa reperiantur, non autem contra, namq; si quis diligenter intueatur id quod postremum est in re aliqua, cognoscet in eo aliquid, sine quo id effici non potuerit, & id in re inueniet. & similiter ad istud quod ita inuentum est gignendum, aliud quid apparebit necessarium fuisse, quod item in re inerit. Atque ita hac prænotione tota inuestigatio nostra dirigetur, redeundo semper à postremis ad prima, progrediemurq; hoc modo semper ad superiora, donec ad aliquid ventum sit, vltra quod nihil reperiatur, ex quo illud effici potuerit. Et istud erit initium rei, à quo primò

ipsa est inchoata. Atque istud totum quod declaramus nulla ex re magis percipi pot, quàm ex rebus mathematicis, nã ita sunt hæc res, vt & prima initia harum, et postrema sensu comprehendãtur. vnde ex his sensu fermè intelligi potest, quomodo in postremis alia contineãtur, et ex illis percipi valeant. Si quis igitur secum consideret figuram, exempli gratia, sex Angulorum ex hac extrema parte, quæ continet sex Angula, statim perspiciet eam constare ex figura quinque Angulorũ, et in hac reperiet includi Quadratum. Idq́ ex Trigono confici, Trigonum ex Angulis, Angulos ex lineis, lineas ex Punctis, hæcq́ erunt prima, quia nihil reperitur, vnde illa gigni potuerint. Quòd si alia via quispiam hæc inquirere velit, nullam partem rei inueniet; nam etiam si cognita habuerit puncta, aut lineas, & eas quanta maxima effici potest diligentia, scrutatus sit, nullam partem reperiet, ex qua figura sex Angulorũ sit effecta. Ita ex his facillimè comprehendi potest, quanta sit uis huius viæ quæ ex prænotione postremorum constat in inquirendis omnibus partibus rei alicuius, & proprium munus eius esse, vt ipsa quærat, atque inueniat principia

cipia

cipia omnia, ex quibus rei alicuius natura est effecta, vel ex quibus effici poßit. Idq́; significans Aristoteles, eam sæpe nominat viã ad principia. Est enim via, qua reperiũtur principia, quæ in re aliqua sunt, & est analytica. qua voce (vt per se constat) declaratur reditus quidam, ac reuersio; vnde ipsa de sententia veterum omnium, qui hæc tam præclarè litteris conscripta nobis reliquerunt, erit methodus, qua demonstratur, quomodo reuersio in aliqua re fiat. Constat autem reuersionem tum effici, cum quis ab eo extremo, quo alio itinere profectus erat, eadem via, redit eò, vnde discesserat: suntq́; contraria inter se, tum iter rectum, tum reuersio est; enim iter directum à carceribus (vt dicitur) ad calcẽ, reuersio verò à calce ad carceres. Atque carceres quidẽ in ijs, quæ à nobis inquiruntur, sunt rerũ principia, à quibus gradatim directo itinere Artifex ipsarum, siue Natura, siue Ars peruenit ad ea, quæ ex his effici debent: calx verò, sunt illa, quæ postremò profecta sunt à principijs, à quibus, si quis ire incipiat ad principia, is reuersionem contrariam faciet itineri superiori, quam necesse est nos efficere, si rerum natu-

ras percipere cupimus. Postremò autē à principijs proficiscuntur illa, quæ non præterea ob alia fiunt, sed propter ipsa alia sunt effecta. Ista autem, sunt quid postremum, quod mouet vel naturam, vel artificem, vel quenquam nostrum, primò vt illud appetamus, post vt inquirere velimus, qua via id vel acquiri, vel effici à nobis possit. ac postremò vt eius, vel adipiscendi, vel efficiendi causa, illa, agamus, quæ ad illud efficiendum pertinent. Quod simul ac perfecerimus; nihil præterea relinquitur; quamobrem eius causa nos aliquid agere oporteat.

CAPVT VI.

¶ Colligit multa, quibus declarat prænotionem postremorum, esse finem. & hunc esse essentiam rei, & ex notione huius inueniri reliquam totam naturam rei. ob hancque causam effici demonstrat, vt hæc Methodus in ijs omnibus valeat, quem ob aliquem finem efficiunt, vel facta sunt, vel procreata à natura, vel à nobis sunt gesta. & explanat quomodo ipsa in omnibus conquirendis, munus suum propriè exequatur, & cur via analytica sit dicta.

N*ecq; via semper in quaqua re agenda, est proposita cuiq; nostrum. Ob aliquem autem finem quiuis omnia efficit, nec aliquid vnquàm, quis-*

piam

piam nostrum, aut agit, aut efficit, nisi propter ipsum. Ex quo apparet, istud postremum, esse finem aliquem, qui continet in se causam, ob quam alia sunt effecta; Nam is est causa, cur illa efficiantur, & illa sunt principia, à quibus is proficiscitur. Et ita sunt necessaria ad illum, vt sine eis effici non valeat. Inueniuntur autē quæ ad finem pertinent, ex notione ipsius; hæc enim perspecta, suppeditat nobis omnia, quæ necessariò ad ipsum faciunt: Nec alia via, de his potest à nobis inquiri, nisi enim quis cognitam habeat rei eius naturam, quam efficere vult, nunquam reperiet, neque quà ratione id sit faciendum, neque ex quibus istud effici possit. Idq; propterea fit, quoniam hæc omnia in ipso continentur. Vnde apparet, cognitionem finis, esse prænotionem quandam, qua tota hæc methodus, fundat inquisitionem suam: ex ipso.n. existunt ea omnia, quæ ad eum gignendum valent, & ex quibus rei eius natura constat. Et hæc se facile offerunt ijs, qui diligenter ea considerant; namq; cogitantibus nobis de aliqua re agenda, vel facienda, primùm ex ipsa rei natura, quam efficere nobis proponimus, se ostendit id, sine quo ipsa effici, aut constare non valet.

Post huius, quod est iam inuentum, naturam contemplantibus, offertur nobis aliud quod necessarium eodem modo ad istud est. Quod etiã ipsum intuentes, ex ipsius natura intelligimus, an quid aliud ad ipsum faciendum opus sit. Quod si ita esse reperiamus, istud inquirimus, eodemq́ modo semper ad rei naturam inquisitionem nostram dirigentes, quærimus vsque dum ad aliquod peruenimus, qđ ipsum per se absque auxilio alterius effici à nobis potest, & ab hoc initium rei faciendæ, vel agendæ sumimus. Ita fit, vt id quod postremò inuentum est, sit initium rei. Patetq́ hanc inquisitionem esse reuersionem ab eo, quod postremum est, ad id quod primò fit: efficiturq́ hæc reuersio, in inquirendis rebus iis, quæ genitæ sunt à Natura, & ab Arte, semper retexendo illud, quod est posterius, in id ex quo est contextum. Essentiaq́ Rei est nobis magistra in tota hac re efficienda; nam hæc percepta declarat nobis partes, ex quibus ipsa est genita, aut gigni potest: & semper ex essentia posterioris, inuenitur id, quod ipsum antecedit. Et ità, ex fine fit reditus ad ea, quæ sunt ob ipsum; nam quod post fit, est causa, vel finis, cur efficiuntur, quæ ipsum antecedunt.

Vnde

Vnde retexendo, ſemper eſſentiam eius, quod iam eſt effectum, tranſimus per ſingula à quibus id proficiſcitur, et ſic nihil nos fugere poteſt eorum, quæ totam rei Naturam continent, aut in ea ſunt. Itaque prænotio finis eſt initium, quo tota hæc via analytica nititur; nec abſque hac prænotione, quicquam inueniri ab hac Methodo valet. Sed his iam ſic explanatis, inquirendum eſt, in quibus ipſa verſetur, vel quænā tractet. perſpicuum autem eſt, cum habeat illam prænotionem, quam diximus, ideſt finem ipſum, eam poſſe in ijs adhiberi, quæ ob finem aliquem fiunt. Ex quo etiam perſpicitur, quæ à ratione fiunt, quæ item à Natura, et à DEO, poſſe ab ipſa tractari; nam hæc omnia finem in ſe aliquem continent, ob quem ipſa facta ſunt. Eorum verò quæ Ratio efficit, alia ex his ſunt, quæ aguntur, Græcè hæc dicta ſunt πρακτὰ, *et alia fiunt, hæcq́; nominantur* ποιητὰ. *Illa verò, quæ à Natura, & à DEO procreantur, quia ſcientia comprehendi poſſunt, ob iſtud Græci nominant* ἐπιστητὰ. *Et hæc omnia tanquam materia, huic Methodo ſubijciuntur. De quibus ipſa quærit, & inuenit, quæ ad harum rerum naturas pertinent. Atque de his omnibus*

distincte à nobis explicandum est, quam vim, in singulis hæc methodus habeat, quomodoq́; ad illa tractanda transferri debeat. Agi dicuntur illa, quæ actione sola continentur; et hæc quidem pertinent ad mores & ad alia negotia, vitæq́; actiones, quibus non efficitur, aliquod opus, quod proferri, ostendiq́; sensu possit, sed tota natura illorum in actione consistit. De his alia comprehenduntur scientijs, veluti ea quæ constant voce, te concinnitate ipsius, de quibus Musica præcipit, quæ est scientia. Et item alia quædam, quæ ad illam partem Philosophiæ pertinent, quæ est de vita, & moribus: quæ omnia docet Aristoteles nullo modo rectè geri posse, nisi, quæ ad illa gerenda valent, hac methodo inuenta sint; Nam lib. III de Moribus ad Nicomachum cap. III. ipse demonstrat, omnem Consultationem, quæ de re aliqua agenda susci pitur, hac regula inquirendi dirigi. Ex quo et loco percipimus, quæ sit causa, cur finis sit prænotio huius methodi; nam (inquit) non deliberatur ab aliquo de ipso fine, sed de ijs tantum, quæ necessaria sunt ad finem; deliberatio enim est actio, & omnis actio est alicuius causa, igitur non potest cadere in finem deliberatio; quo-

niam

niam is non refertur ad alia, sed alia ad ipsum, unde is erit quid praecognitum de quo nullo modo deliberatur à nobis, an effici debeat nec nè: sed cum nobis propositum fuerit illum esse faciendum, inquirimus tantum quibus istud à nobis praestari possit. Et qua ratione, atque si multa occurrunt, quae ad id efficiendum valeant, quaerimus quibus nam facillimè & optimè id assequi valeamus. Atque si ex uno tantùm id effici possit, inuestigamus solùm, quomodo ad id efficiendum, istud adhiberi debeat. Et in his omnibus conquirendis, reuersionem semper facimus à postremis ad prima. Et sic finis est initium deliberationis totius, et quod ultimo loco hoc inuenitur, est initium rei gerendae. Vt exempli gratia si propositum sit, auferendam esse caritatem annonae, primò occurrit ex re ipsa importandam esse copiam frumenti quae deest; & ob id quia deest, efficit annonam caram; haec ergo ex alio loco exportanda est unde in ea loca nauigandum, ex quibus frumentum possit exportari ob quod, & Naui opus est, quae & nautis, & alijs rebus sit instructa, istud idem accidit cum iter pedibus aut equo ingredi oportet; nam ea parari debent, quae ad istud

iter

iter conficiendum necessaria esse reperiuntur: sed cum ad hæc omnia comparanda, omninò sit opus pecunia, efficitur, vt hæc primò inueniri debeat, post gradatim ea præparare oportet, quæ Res ipsa in hac deliberatione ostendit nobis esse necessaria ad tollendam caritatem. Eadem ratio adhiberi debet, tum ad bella gerenda, tum ad alia munera obeunda, in quibus necesse est, deliberatione ea inuenire, sine quibus ipsa geri non possunt; Nam quia suscipiendum est bellum, ab Aemilio contra Persem, ideò in primis exercitus est conficiendus; id enim belli ratio nobis statim demonstrat, et ob istud primum conquisitis ijs, quibus exercitus confici potest, ea paranda, quæ ad ipsum alendum, et instruendum valent. Et item semper ex præposito fine ea reperientur, quæ ad ipsum opus sunt. Istud idem etiam euenit rebus ijs, quæ à nobis fiunt, de quibus Artes illæ, quærunt, quæ à Græcis sunt nominatæ ποιητικαὶ, *idest efficientes; nam ostendunt opus, quod effectum ab ipsis est, & talis est Medicina, quæ bonam valetudinem gignit in corporibus. talis item Ars, quæ domos extruit, & alia, quæ naues fabricatur; ac denique reliquæ omnes, quæ labore, et opera sibi proponunt*

ponunt faciendum opus aliquod, quod sensu cerni possit; cum enim quæque ipsarum sit recta quædam ratio, qua istud opus efficiunt, necessario hac methodo diriguntur in quærendis ijs, quæ ad istud pertinent, isq; finis, quem quæque ipsarum sibi proponit, est initium, quo inueniuntur, quæ ad ipsum præstandum valent. & notio eius declarat ea omnia, sine quibus id effici non potest; etenim illa ad finem accomodari debent, non contra is ad illa est accommodandus; ex eo enim, quia domus talis esse debet, ob id ex ijs, atque illis est construenda, & hoc modo. Nam primo fundamenta iacienda, post muri, deinde alia, donec ad finem ventum sit, cuius causa alia fuerunt effecta. hoc modo Medicina etiam tota est inuenta; nam proposita ratione sanitatis corporis, ex ea inuestigantur, quæ sunt necessaria ad ipsam gignendam, & doctus Galenus quodam in libello, totam hanc notionem est diligenter complexus, nosq; admodum adolescentes eum secuti, rem hanc planè latineq; declarauimus; ac nescio quomodo is Liber, cum maturitatem suam nondum haberet, peruenit in manus hominum. Ex his ergo sic disputatis, facilè intelligimus, hanc methodum

maximè

maximè valere ad artes inueniendas, & principium huius esse finem quendam, quem cogitatione, ac mente comprehendimus quis sit, & quærimus hac Methodo ex quibus constet, & quomodo effici poßit, & ob id is nondum re ipsa est, sed sola mente, & animo à nobis tenetur; vnde prænotio verè dici potest. Et propter hanc causam Aristoteles de partibus animalium dixit, principium eorum omnium, quæ in artibus tradita sunt, esse id quod nondum est, sed effici potest: id autem nihil aliud est, quam cognitio essentiæ, & formæ eius rei, quam ars illa sibi efficiendam proponit, hæc enim rectè à mente nostra comprehensa subijcit nobis ante oculos quæcunque opus sunt, in ea efficienda, et ita est causa à qua ipsa efficitur. ex quo apparet verùm esse, quod ait Aristoteles lib. VI. Sapientiæ cap. VII: domum à domo, sanitatem à sanitate gigni; ædificatur enim domus à domo, quæ est informata in mente architecti, & sanitas à mente medici percepta, est causa, quòd is generet sanitatem in corpore ægro. altera est essentia quædam simplex et prima; quoniam nullam habet admixtionem materiæ: altera non est præterea prima essentia; quia est iam confusa

cum

cum materia: & in ea impressa, ipsam exornat. itaque quæ & qualis esse debeat materia, quæ hac exornari possit, ex sola ipsa prima essentia reperitur, nec aliunde inueniri potest. Idq; non solùm valet in his, de quibus nunc locuti sumus, sed etiam ad multa alia transfertur; namque Aristoteles ex sola notione ipsius demonstrationis, vel ex sola essentia eius, vel ex quid est ipsius, inuenit totam materiam, vel omnes partes, ex quibus ipsa effici debet; nam ex eo quod gignit scientiam, et ex eo quod scientia est tale quid, reperitur ipsam effici debere, ex propositionibus primis, & ex veris, atque ex alijs quas ipse ibi enumerat. & hæc ratio inueniendi, est methodus ista de qua hæc omnia hic disputamus; nam hæc sibi proponens, notionem essentiamq; rei, quæ vel effici debet, vel iam est effecta, redeundo ad hanc, percurrit omnia ex quibus ipsa præstari potest, & ita singula inuenit. similis etiam est ratio in ijs, quæ sunt genita à natura; nam notio essentiæ cuiusque rei, est initinm quo reperiuntur omnia ex quibus ipsa est procreata; ea enim per se est simplex quædam res, & ex hac natura sua simplici perspicitur, ratio materiæ, quæ illam accipere

pere potest. ità si quis eam tota mente, atque animo contempletur, ex qua materia concreata sit, inueniet; nam exempli gratia, intuentibus nobis naturā Hominis, quæ est ipsa Ratio, statim ex notione huius occurrit, eam non posse reperiri, nisi in materia, quæ habeat sensum. quam si diligenter etiam nobiscum cogitemus, facilè intelligetur à nobis, ipsam non posse constare in alia materia, quam in ea quæ sit corporea, & habeat membra ad sensus apta, & hac opus habebit materia in qua insit motus, atque hac erit effecta ex materia et forma. quæ cum postrema inuenta sint, & vltra hæc nihil reperire liceat, erunt prima initia, ex quibus inchoata est natura hominis. ità hoc exemplo, licet non subtiliter, nec accuratè, rem ipsam expressam contineat, tamen perspici potest, quæ sit formula huius methodi, & quomodo ex notione quid est, vel essentiæ, & naturæ Rei, percipiamus, quæ & qualis sit materia, quæ ab ipsa est confirmata, vel quas partes in se ipsa illa contineat.

CAPVT VII.

¶ Docet prænotionem eorum, quæ in alijs insunt, vel alijs accidunt, multum posse ad essentias rerum inueniendas, & hanc methodum hac prænotione vti, atque ita ad principia rerum inuenienda, aditum sibi patefacere.

HAbetq; tantam vim hæc methodus, ad quasque res inquirendas, vt non solùm notio essentiæ eorum, quæ sunt in prima Cathegoria rerum: sed & cæterarum omnium, quæ ad alias Cathegorias pertinent, sit necessaria in rebus inquirendis. licet enim quæque ex his rebus, sit insita in alia re subiecta, tamen habet essentiam sibi propriam, quæ si cognita sit, ostendit nobis materiam, ex qua ipsa genita est, & is aditus nobis patefactus fuit à natura, ad inuestigandas intelligentias rerum, quæ sunt ab ipsa in profundo demersæ; nanque ex essentia eorum, quæ ab his proficiscuntur, & sensibus à nobis fuit comprehensa, venimus in cognitionem rerum. itaque si diligenter inspicimus, quid sit vnumquodque illorum, quæ vel tactu, vel odoratu, vel gustatu, vel aspectu, exploramus, intelligimus, materiam ex qua nascuntur esse talem, aut talem. sic essentia horum facit nobis no-

tam essentiam rerum, à qua proficiscuntur, & hæc ponit nobis ante oculos totam materiam, ex qua ipsa constat. Ità essentia essentiam declarat, omnisq; nostra cognitio à notione essentiæ proficiscitur, & via hac analytica acquiritur. in tenebras, & nimias rerum obscuritates detruduntur, qui alia via rerum intelligentias capere conantur. Motus ex ijs est, quæ sub aspectum cadunt, essentia huius si accuratè cognita sit, ostendit nobis in re esse initium, à quo is proficiscitur, & id initium multiplicem naturam habere, hacq; prænotione apud Aristotelem fundatur totius physices explanatio. Essentia cuiusque coloris, et essentia splendoris, ac denique cæterorũ omniũ, quæ aspectu conspicimus, ostẽdant nobis causam ex qua, et à qua, quodq; horum procreatur, idemq; fit in ijs, quæ, & tactu cõprehendimus, et gustatu, atque alijs sensibus. Medici ex natura saporis cuiusque rei, faciunt indicium de essentia rei, à qua is sapor gignitur, & est certa cognitio, quæ dat notitiã essentiæ rei. quod Aristoteles primo libro de Anima declarat, nanque ait accidentia, quæ in re insunt multum prodesse ad cognoscendum quid res sit. itaque prænotio essentiæ, illarum rerum

quæ

quæ sub sensus nostros cadunt, est initium huius methodi, quo ipsa inquirit de materia, ex qua essentia hæc constare potest.

CAPVT VIII.

¶ Demonstrat notionem nominis ab hac methodo sumi pro initio, quo rei naturam, de qua inquirit inuenit. Atque ità, tum notitiam finis, & essentiæ rei, tum notitiam accidentium, tum nominis vult haberi pro initijs, quæ hæc methodus accõmodat ad res inuestigandas. & principia ipsarum propriè inquirit.

SED et id, quòd quodq; nomen significat, siue notio nominis, dat aditum nobis ad rem inquirendam, & hæc methodus, vtitur hac pro prænotione, & principio quo inuenitur tota natura rei; etenim nomina (de ijs loquor, quæ propria sunt cuiusque rei, vel in cõmuni loquendi consuetudine, à quouis sunt approbata) confusè naturã rei declarant, & impliciter id continent quod explicatè definitio rei explanat. Accedit ad hoc, quòd communi omnium consensu probantur, ex quo quod ipsis declaratur, de omnium sententia in re inesse tenendum est; vnde hæc notio nominum multũ adiuuat ad inueniendã rem. atque si nullo ex alio loco nobis patefactus est adi

tus aliquis ad rem, hinc, ad eam tractandam veniendum est. Istud efficiunt mathematici; nã inchoant tractationes suas ab hac notione; ponunt enim punctum esse, quod nullam habet partem, & lineas esse longitudinem absq; alia dimensione. Et Aristoteles istius modi quodam principio, fundauit admirabilem illam explanationem de sapientia; nam ex notione sapientiæ, quæ ab omnibus ipsi est subiecta, inuenit ea omnia, in quibus versatur sapientia, & tãdem declarat quid ipsa sit, nec ex vllo alio initio ad hæc peruenit. Atque in libris de demõstratione totam rationem demonstrationem assumpsit ex notione scire, *vultq; eam haberi pro principio; quoniam à doctis, et ab indoctis est approbata Atque sic triplex ferme huius methodi forma a nobis est declarata; nam alia ex essentia rei, alia ex essentia proprietatum, & accidentium, quæ in re cernuntur, aliã ex essentia quæ nomine rei explanatur, inuenit partes vel initia, ex quibus ipsa constat: idq; facit redeũdo a postremis ad prima initia: nam essentia & forma, est id, buod postremò rem conformat: neque enim potest ea, gigni, aut ex ipsa elici, nisi omnia prius parata, sint ad eam accipiendam*

dam

dam; vnde hæc est vera methodus analytica, quæ hac via redeũdi inquirit, et inuenit partes rei, nec aliquid de re declarat; quoniam ex prænotione ipsa, nihil concludit; neque enim reddit causam, sed tantum ipsam rem ponit ante oculos; & tanquam famula quædam doctrinæ declarandi, ipsi suppeditat materiam, quæ ab ea explicatur, docetur, & concluditur ita esse, quod non fit ab Analytica via; neque enim hæc aliquid ratione confirmat. & hac de causa Aristoteles in initio primi libri de Demõstratione nominat eam disciplinam; *quoniam prænotione posita, discit & inuenit, quæ in re sunt, palamq́ ostendit eo in loco ipsam distingui, à* doctrina. *sed hæc satis sunt in præsenti, ad id, quod in hoc primo libro, de hac methodo declarare instituimus; nam ex ijs, quæ in alijs libris, qui hunc consequentur, à nobis explanata erunt, isthæc omnia, accuratius, & distinctus intelligi poterunt*

FRANCISCI TERRILII DE METHODO SCIENTIARVM, ATQVE ARTIVM,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

¶ Ostẽdit in rebus viam extare, qua à primis rei initijs itur ad reliquam totam essentiam eius. declaratq́; hanc nomine disciplinæ appellari, & esse viam diuidendi. postremò ait hanc sumere pro initio suo, prænotionem generis sub quo, res de qua inquiritur, est subiecta.

CVM iam explanata à nobis sit ea pars huius methodi, qua ex ijs, quæ postremò in re genita sunt; inuestigamus reliqua omnia, ex quibus rei natura cõstat: nunc inquirere oportet, an ex contraria parte via vlla, ad essentiam rei inueniendam pateat, ità vt ex ijs, quæ prima rei initia sunt, inuenire liceat, alias omnes partes essentiæ rei. Atque hanc quidem in rebus inesse, non est difficile cognoscere; nam cùm ex ijs, quæ narrata sunt à nobis in superiori libro, constet reperiri viam, qua à postremis imus ad prima, quis ex hoc non intelligit hac eadem via, nos à primis

mis posse proficisci ad extrema? vtraque. n. eadem est, non aliter quàm ea quæ à Thebis ad Athenas, & ab Athenis itur ad Thebas; quæ enim via ab alijs, quæ à principijs proficiscuntur, reuertimur ad ipsa principia, eadem etiã à principijs licèt ire ad alia, quæ postremò ex his nata sunt. Itaque si primam illam esse constat, & hanc etiam omnino reperiri cõfitendũ erit. Quòd si quis nobis adhuc non assentiatur, non erit difficile factu, alijs rationibus, quæ veræ omnino sunt, istud sic esse omninò ostendere; nam extat præclarus locus apud Aristotelem in primo libro de Demonstratione, in quo ipse multas rationes colligit, quibus eruditè confirmat res, quas in hoc vniuerso perspicimus non infinitè patere, sed, certis, definitisq; decem generibus, omnes clausas esse. Atque ita quodq; ex istis generibus, tum sursum versus, tum etiam infra definitum est, nam in vtraque parte reperiuntur fines, vltrà quos progredi non licèt; quoniam nullum prædicatum extra ipsos inueniri valet. possemq; in præsenti rationes, quæ ibi ab ipso sunt allatæ ex illo transferre, sed, apud eum legi possunt, & totus locus à nobis commentarijs nostris copiosè

piosè fuit declaratus. vnde pro re non dubia quisque nunc habeat in vnoquoque ex istis generibus, tum supremũ quodam prædicatum, tum infimum inesse, et à supremo ad infimum descensum patere, itemq. ab infimo ad supremum ascẽsum quoque datum esse. Idque cum ita sit, cognoscitur iam ex hoc, istum ascensum esse viam illam, de qua in superiori libro loquuti sumus: descensum verò, esse viam istam, qua à superis itur ad infera, de qua hoc in loco quærere proposuimus. atque cùm iam constet ipsam reperiri, sequitur, vt de ea à nobis tradatur, quanam, & qualis illa sit, & quod nomen habeat, & an ad intelligentiam essentiæ rei nos ferre possit. declarabimus etiam quid inter hanc, et superiorem intersit: perspicuum autem illud est, hanc viam disciplinę *nomen habere: nam ratione inquiruntur, et inueniuntur, quæ ab ipsa tractantur omnia, nec absq. ratione aliquid valet, aut aliquid inuenire potest: ex quo vt prænotione aliqua in illis quærendis vtatur, necessè est (sæpe.n.iam expositum fuit) quanque disciplinam, quæ ratione fit, opus habere prænotione. prenotio autẽ qua ipsa tota fundatur, est notitia generis eius, rei, cuius naturam inquirit*

quirit. atque vt Analytica sibi proponens formam rei, quæ postremò gignitur in re, ex ipsa reperit, qualis tota res sit, & quæ ad eã sunt necessaria: ita & hæc via ex cognitione generis, quod est prima pars essẽtiæ rei inuestigat totam essentiam rerum, quæ sub genere sunt subiectæ: est enim via, quæ à principijs it ad alia, quæ nascuntur ab ipsis: genus autem est principium essentiæ rei, quod quidem inclusas in se continet oẽs partes essentiæ eius. Itaque vt istud præcognitum habeamus oportet, si modo notiones, quæ in ipso latent, in apertũ proferre volumus, quod quidem via hæc profitetur. ad idq; præstandum necessarium est, vt in primis dissecet, ac diuidat totam naturam generis in suas partes; vnde via diuidendi est nominata, & ita eam in tota hac tractatione appellabimus. Et quanquam id nomen ad alia quædam trasferatur, intelligimus tamen nunc solùm eam viam diuidendi, quæ tractat diuisionem generum, & de hac tantum hic docere instituimus; nam ista solùm facit ad eam partem huius methodi, de qua hic disserimus.

Ca-

CAPVT II.

¶ Explanat rationem, cur Aristoteles, viam diuidendi vocet infirmam ratiocinationem. & ostendit analyticam methodum, multò præstantiorem hac esse distinctéq; explicat, quod nam munus huius sit.

HAEC tota pertinet ad inueniendam essentiam rei, ob quam causam Aristotcles primo priorum analyticorum ait, hanc esse exiguā quandā partem methodi demonstrandi; etenim nulla potest esse demonstratio, absque notitia essentiæ rei: hæc autem notam facit ipsam quodammodo, sed non perfectè, vt ipse Aristoteles arbitratur. ex quo est existimanda exigua quadā pars eius. Dicit etiam ipsam esse infirmam quandam ratiocinationem: sed si verè rem explanare licet, ne ratiocinatio quidem putanda est; non enim adhibet medium ad rem concludendam. & ob id propriè non ratiocinatur, sicuti etiam ab illo copiosè est explicatum, libro secundo de Demonstratione; nam interrogando elicit ab aliquo id, quod ostendere vult, vel conclusionem, quod totum distat à ratiocinatione; hæc enim positis quibusdam, necessariò ex ipsis efficit, et declarat aliquid

quid.alind est autẽ id, quod declarare quispiam vult, quærere ex aliquo, & si ab ipso concedatur, id habere pro vero: aliũd vero, istud principijs quibusdam sumptis, quæ sunt diuersa ab eo, ostendere, sic ipsa propriè, ac planè non ratiocinatur, tamen aliquid declarat, et quod per eam ostenditur, id ità esse, opinandum est, sicuti est ab ipsa declaratum. Nec cognitio cuiusque rei acquiritur ratiocinatione, atque medio; nam & inductio aliquid nos docet, quod verum esse putamus, veluti est, & id quod inductione affertur, existimamus satis esse, ad rem illam ostendendam. Ità cum hæc tractet partes essentiæ rei, quæ medio nullo, vel causa declarari possunt, fit, vt hæ inquirendæ sint alia quadam via, quàm ratiocinatione, & sic ad id valet, vel via illa analytica, de qua supra diligenter disputatum fuit, vel hæc, quam nunc breuiter explanare instituimus, quæ diuisionem affert, nec medium vllum profert.

Ca-

CAPVT III.

¶ Disputat de ratione, qua prenotio huius methodi, quæ est genus rei, inueniri potest, & docet eam totam ex diffinitione generis suppeditatam esse.

HANC, veteres Philosophi existimarunt, maximam vim in reperiendis partibus essentiæ habere, putaruntq́; nullam aliam methodum, vlla ex parte posse cum hac conferri. Quod Aristoteles nequaquam probat; ipsam enim nihil certi docere, ac concludere opinatur, & ad tractandum difficilem admodum eam esse iudicat, putatq́; Analyticam viam, qua etiam eandem essentiam propositam habet multò plus in ea inueniẽda valere, quàm valeat diuisio; nam certiùs omnes partes rei p̄ ipsam reperiuntur, quàm per diuisionem; finẽ enim, & formam contemplatur, in qua cernitur tota natura rei. vnde ipsa non solùm partes eius omnes nobis subijcit sub oculos, sed causas etiam ostendere potest, cur quæq; pars in re sit. Vt enim ait Aristoteles primo de Partibus animalium in principio. Architectus considerans domum, vel formam eius, non solùm inuenit ex ea, quæ necessaria sunt ad ipsam extruendã, sed item potest causas reddere, quam ob

ob rem quæq; sit effecta, & cur ità. Et quo apparet eam non multùm differre à methodo demõstrandi, nam suppeditat nobis omnia, quæ opus sunt in demonstratione, solùm ipsi deest fermè forma ratiocinandi, quam ipsa non attingit; & ob id tantum tribuit Aristoteles huic methodo, tantumq́ momentum ad demonstrationes eam afferrè putat, vt fermè eandem dicat esse Analyticam methodum, quam & demonstrandi, & eam partem Logices, quæ inquirit de Demonstratione, vocet Analyticam. secùs autem de methodo diuidendi sentit; neque enim arbitratur ipsam multum ad demonstrationes, vel ad essentiam & definitionem rei, quæ est initium demonstrationis nobis prodesse. sed quantum in hac re ipsa posfit, quisque perspiciet, sì quæ, qualisq́ ipsa sit, & quomodò munus suum exequatur, diligenter cognouerit. Atque ex ijs, quæ disputata nunc à nobis sunt, percipi potest eam esse disciplinam, vel methodum quandam inueniendi, quæ prænotione generis, diuidendo inuestigat partes essentiæ rerum, quæ sub ipso genere subijciuntur. Cognoscitur autem ex hac definitione non posse quemuis hac vti: sed illos solùm, qui sunt exercitati in doctrinis,

nisi

nisi enim quis iam perspectum habeat, quod nã genus sit harum, atque harum specierum, is hãc attingere nequit; ipsi enim deest prænotio, qua innititur tota hæc methodus. ex quo, vt versatus in scientijs iam sit is oportet, qui ad aliquid tractandum istam adhibere vult: nanque ex singulis his capi potest, cognitio generis earũ rerum, quæ traduntur in quaq; scientia; materia enim rei in qua quæq; versatur, est genus rerum omnium, quæ ab illa scientia sunt explanatæ. Exempli gratia, numerus est materia, quæ sub tota Arithmetica, est subiecta, & is continet genus eorum omnium, quæ ab ipsa tractantur; nam genus ternarij, septemnarij, & denique omnium aliorum, Numerus ipse est. & ita, vel ex quaq; harum quod genus rei sit disci potest, vel ex ijs locis, qui ab Aristotele quarto libro Topic. sunt expositi, qui pertinent ad cognoscendum, an aliquod sit genus aliquorum, ex quo tota hæc prænotio huius methodi ex illis percipi debet. & omnino in Logica eos instructos esse oportet, qui hac diuidendi methodo, in aliqua re inquirenda, rectè vti volunt. Tamen ne quis huius prænotionis rudis, ad hanc viam, atque rationem perdiscendam

acce-

accedat, hic breuiter quid sit Genus declarabimus, & aliquot etiam ex ijs locis, qui ab Aristotele tacti sunt, referemus, qui nobis, an aliquid sit genus, nec nè, notum facient. Ipse autem primò Topices docet Genus esse prædicatum, explicans quid est quod dicitur de multis, quæ specie inter se differunt. Prædicata etiam explicantia quid est, ea esse scribit, quæ ita congrunt ad rem aliquam, vt si quæratur ex nobis quid res illa sit, aptè respondeamus esse aliquod ex his prædicatis. Exempli gratia prædicatum explicans quid sit Homo, est Animal, quoniam si quis nos roget, quid est Homo? probè respondemus, ipsum esse Animal. Ita hac notione generis posita facilè factu erit, tum genera rerum inuenire, tum alia, quæ non sunt genera, ab his distinguere. In hac enim includuntur loci illi omnes, qui explicati sunt ab Aristotele in IIII. libro Topices, qui pertinent ad inueniendum, an aliquid sit genus alicuius. de quibus singulis nihil necesse est nos hic distinctè aliquid narrare; nam latè ab Aristotele sunt explanati. Et ex illis, quæ ab eo scribuntur, disci facilè possunt, ipsaq; diffinitio (vt dictum est) nobis totam materiam illorum dat.

vnde

unde cogitantibus quanque partem ipsius, hi omnes se se facilè ostendent, & in quaque re oc current. Ex quo, tantum de hac loquemur. Ac declarabimus quomodo ex hac inueniri valent. Formolam autem solum rei notam faciemus; nàm de omnibus in his libris breuiter differere propositum est. Igitur prespici potest, genus omne quarumcunq. rerum, vel specierum sit, in aliqua ex illis decē Cathegorijs contineri. sunt enim tales istæ Cathegoriæ vt latissime pateant, nec res vlla, siuè illa per se consistet siue in alià in hæreat, aut cogitatione tantum comprehendatur, reperiri valeat, quæ ad aliquam ex his non pertineat. Et ob hoc ex aliqua illarum, istud quæri debet, estq; omnino verum in eadem Cathegoria ipsum in esse, in qua consistunt res, vel species, quarum illud genus est. Et istud totum, ex prima parte ipsius definitionis cognosci potest. Primò enim in ea ponitur, ipsum esse prædicatum. nullum autem ex ijs, quæ continetur in aliqua Cathegoria, potest, esse prædicatum alicuius quod sit ex aliqua alia Cathegoria. Exempli gratia, Corpus non potest explanari de Candore, aut de Rubore Et Bonum, aut Pulcrum non dicuntur, de Scientia; quoniam sciē-

tia est ex Cathegoria eorum, quæ sunt Ad aliquid; Bonum vero, et Pulchrum continētur in Cathegoria Qualitatis. Ex quo percipitur, si qua species sit Substantia, genus quoque ipsius esse Substātiā. et si qua sit Qualitas genus eius esse ex qualitate. et denique ex eadē Cathegoria omnino esse, tum genera, tum species, quæ sub illis generibus sunt subiecta. Istud idē, ēt cognoscitur ex altera parte ipsius definitionis; neque .n est tantummodo prædicatū, sed prædicatum, quod explicat quid sit; nihil autem pōt declarare, quid sit aliquid, nisi saltem sit pars eius. vnde oportet, vt genus insit in essentia earū rerum, de quibus explanat quid quæque sit; quod nullo modo ei contingere pōt, nisi ipsæ res in eadē Cathegoria contineantur, in qua sunt ēt genera: nam ista omnia consentiunt inter se natura, & vnum præsertim id, quod superius est, exponit quid sit alterum. Quæ verò sunt ex diuersis Cathegorijs, diuersas inter se naturas habent; nec aliquod de ipsis potest explanare, quid vllum ex alia Cathegoria sit & hæc res etiam facit, vt Differentia, & Accidentia non possint esse genera; nam Differentia nō est prædicatum, explicans quid sit, sed simul tum quid sit, tum

quale; et istud est diuersum ab illo. Accidentia etiam cum explicantur pro accidentibus, non explanant nisi quale sit, ob quod in numero generum haberi non possunt: cum tamen alio quodam modo proferantur, habentur pro generibus: Nam sunt prædicata, quæ explicant quid sit, exempli gratia, si quis dicat, candor est color; is affert prædicatum, quod est genus; quoniam explicat quid sit. Et item Iustitia est virtus, aut deambulatio est motus, ista referuntur ad genera; quia cõtinentur in essentia specierũ, et explicant quid sit quæque species: distinguuntur autem ab alijs; quia in his nomen, et definitio dicuntur de re; in alijs autem, solùm nomen dicitur de re; nec declarat quid sit species, sed solùm qualis sit. Cum enim quis dicit nix est alba, anima est id, quod seipsum mouet: in istis prædicatum non dicit, quid sit res; quoniam definitio eius non continetur in re. licèt enim nomen albi, explanetur de niue; definitio tamen eius non congruit ad eam; neque item definitio motus pertinet ad Animam, atque ita patet, ex eo intelligi posse aliquod esse genus; quoniã explicat quid sint illa, quæ sub ipso subijciuntur. vnde si quid non erit prædicatum, explicans

quid sit, istud à natura generis segregandum erit; & est videre ex hac parte, definitionis inuentos ab Aristotele locos esse, quos omnes ad istud referri constat, atque hi (vt dixi) se se offerunt nobis, ipsam definitionem contemplantibus, aliiq; omnes, qui apud ipsum scripti sunt. Sed accuratiori, longioriq; horum omnium inquisitione omissa, quod reliquum huius methodi munus sit, declarare adnitar.

CAPVT IIII.

¶ Demonstrat hanc Methodum esse difficilem ad tractandum; & in eo aliis præstare, quòd ex ordine, atque certè singulas partes essentiæ rei, inuenit post præcepta inquirendi. Essentiam etiam rei dat, & totam hanc methodum diligenter aperit.

INuento itaque genere, prænotionem habemus, qua methodus ista totam actionem fundare valet. Actio autem ipsius ea est, vt differentiis, quæ propriè generi sunt, totam eius naturam distinguunt, & sic rei essentiam inueniant; quæ nihil aliud est, quàm genus, postrema differentia rei conformatũ. Tota igitur huius uis in eo est, vt rectè inquiratur, quemadmodum genus in-

 clusum

clusum in rei natura sit; idest quanam, vel quali differentia ornatum rem perficiat, quod quidem magnum est opus efficere posse; nam multa se se nobis offerunt, quae rem hanc difficillimam reddunt; in primis namq; tota natura generis, differentijs multis referta est; cum enim sit disseminata per multas res, quae inter se se differunt, necesse est, vt differentiae quae cernũtur in singulis his, eadem etiam, aliqua ex parte in natura generis contineantur. Sed has percipere, aut inter se distinguere, non est mediocris sapientiae; sunt enim in profundo retrusae; atque tametsi intelligentia eas assequamur, tamen desunt frequenter nobis nomina, quibus ea declarare poßimus. Accedit ad hoc, quòd nisi cognitas eas ità habeamus, vt sunt à natura genitae, non rectè, aut ex ordine à nobis exponi possunt. vnde non probè, sed confusè rei natura explicatur. ac ne explicatur quidem, sed summa obscuritate tota obruitur. Acciditq;, vt id explicasse videamur, quod inuolutum adhuc in re est, & incognitum omnino habemus. Si quis tamẽ ad id operam dabit, vt in distinguenda natura generis, praecepta, quae de hac re, in ista methodo tradita sunt, di-

ligenter

ligenter adhibeat, et hanc sibi magistrã in tota essentia rei perquirenda proponat, is rectà ad eam perueniet, nec aliquo modo ab illa aberrare poterit: præcepta.n.quædam in hanc dantur, quibus instructi, omnem differentiam, quæ in genere insita est, reperire valemus, & noscimus, qualis quæq; ipsarum sit; idest nùm primògenita in essentia rei fuerit; nam istud laborat ipsa omnino, vt quo ordine quæq; pars essentiæ rei effecta à Natura sit intelligamus; etenim nõ aliter inquirit rem, quàm Natura ipsã fabricata est: natura verò in generandis rebus eam artem adhibet, vt à primis quibusdam initijs, quæ rudia sunt, atque inchoata, rem procreare incipiat: post alia, atque alia ex ordine gignat; ac postremò ex his omnibus, tanquam ex materia, iam parata ad formam rei accipiendam, rem ipsã: totamq; essentiã eius procreet. Istud totum artificium imitari quærendo, atque exponere ante oculos conatur hæc via. quòd si eo ordine singula non explicẽtur, quo effecta sunt, aut aliquod prætermittatur, aut quid aliud, quod in ea non sit, addatur, perspicuum est, totam nostram explicationem inanem esse. Vt enim ipsa rei natura constare nequit, nisi om-

nes partes prout effectæ sunt, in ea insunt, sic etiam nunquam rectè intelligi poterunt, aut à nobis explanabuntur, nisi singula ex ordine narrentur. Quod quidem quomodo effici à nobis valeat, ex nulla alia methodo percipi potest, quam ex hac: vnde hanc studiosè colere debemus, si modo magna quædam, atque sapientiā ipsam concupiscimus. Vt igitur hac magistra, essentiam rei certè inuenire valeamus, nec in hac re fallamur, in primis ista prænotio generis, quam habemus, quæ primo aspectu, nobis inuolutam quandam, & confusam rei notitiam dat, et cum alijs pluribus, communem ita distinguenda, & à cæteris segreganda est, & nullam præterea habeat cum illi cōmunionem. Sed eius rei quam inquirimus propria, ipsiq́; soli communicata sit, in hac re præstanda præceptum illud, quod in hac Methodo traditur, tantum potest, vt nulla alia res, in hoc magis valeat: est.n. perficiendum, vt dū genus, quod nobis est propositum diuidere aggredimur, statim primam eius differentiam proferamus; atque omnino caueamus, ne qua ex alijs, quæ primæ non sunt, pro hac afferatnr; nisi enim ista inuenta sit, facilè factu est, vt ab eo quod quæ-

quærimus, omnino aberremus. Nam prima differentia est ea, in qua tota generis natura est diuisa, idest, quæ complectitur omnia, quæ continentur genere ipso. Verbi gratia prima animalis differentia est, quod aliud sit pedestre, aliud non sit pedestre; & item prima differentia auis est, quòd alia habeat pennas scissas, alia integras; atque si istam proferamus, necesse omnino est, vt quicquid est animal, aut quicquid est auis, aliqua ex istis differentijs contineatur. Et si postremò adhibitis alijs differentijs, quæ rem ipsam à cæteris distinguant id, quod quærimus, distinctè, & certè reperire licet. Verùm si quam ex alijs differentijs, quæ non sunt primæ applicemus, cum non omnia amplectatur, quæ natura generis cõtinent, fieri potest, vt id quod quæritur in differentia, quæ prætermissa est reperiatur; atque sic frustra totus labor à nobis consumitur, cum ibi istud inquiramus, vbi non est. Etenim si quis velit inuenire quæ sit essentia auis, atque sumat pro genere animal, qđ est verum genus eius, & ipsum ita diuidat, vt ex animalibus alia terrestria, alia aquatilia esse dicat; atque post, tum quæ terrestria sunt distinguat, et tum aquatilia

ſigillatim etiam inquirat, nunquam ad id quod quærit perueniet. quod ipſi propterea accidit; quoniam prima differentia in diſtinguendo genere, ſtatim ab ipſo adhibita non fuit; Terreſtre enim, & Aquatile non ſunt differentiæ, quæ complectantur totam naturam generis, ſed ad iſtas adiungenda eſt alia, quæ eſt Aereum; & ita nihil peccabitur in hoc. Eſt ergo omne Animal aut Aereum, aut Terreſtre, aut Aquatile. & quoniam conſtat Auem eſſe aereum Animal, in his, quæ in hac differentia continentur, ipſam reperiri apparet. ex quo verè iſtud erit genus Auis; quod ſi adiungatur ad definitionem eius, explicabit, quale Animal ſit Auis, & ita hæc differentia ſeiunget animal ab alijs, quæ non ſunt talia, & naturam communẽ, quæ nomine Animalis deſignatur, in anguſtum adducit, et reddit propriam rei, de qua inquiritur. nam Auis propriè eſt Animal volatile, & hæc eſt differentia prima, quoniam cõuenit ad omnem Auem, nec excluditur aliqua; neque .n. eſt inuenire Auem, quæ non ſit Animal volatile: ſed hæc ſola non diſtinctè explanat, totam naturã ipſarum; intelligimus enim ex hac Auem eſſe Animal, quod volat, ſed id confu-

confusè est expositum: nam inquiri potest quænam, & qualis sit natura horum Animalium, quæ volant, & istud propositum erat inquirere. Itaque deest in hac oratione differentia alia, quæ naturam Auium in se continet. atque ista quidem, nisi expressa sit, non perfectè Auis natura percipi valet. hæc autem quærenda est ex hoc, quod iam inuentum fuit; reperitur enim in Animali volatili, ex quo istud totum, hoc est Animal volatile, *alijs, & his quidem proprijs differentijs, est distinguendum, et ita rei natura perfectè declarabitur. Vnde ex his, quæ volant, quatenus volant, reperimus, alia habere Alas scissas, alia quæ ipsas habent integras: & ista est differentia, quæ per se inest in natura Auium, & distinctas, atque inter se diuersas eas efficit. & ob id est necessaria ad cognitionem rei, ipsaq; cognita, tota Auis natura erit percepta; nanque pertinet ad vniuersam naturam ipsarum: etenim verum est omnem auem habere alas integras, vel scissas, & hæc non est propria Animalis differentia; quia est animal, sed Auis, quia auis est, ità nullo modo prætermitti debet; & si qua alia etiam reperiatur, quæ sit talis, est similiter adiungenda:*

da: sed nulla alia occurrit, quæ in animali volatili insit, prout est tale. Vnde apparet perfectè inuentam esse naturam auis, quæ proposita erat, nam ista omnia, quæ reperta sunt, de sola Aue dicuntur, & explicant distinctè totam naturam eius, postremaq́; differentia separat ipsam ab alijs animalibus; & est ratio, ac forma rei, quæ addita ad genus tanquam ad materiam, perficit essentiam auis, reciprocantq́; ista: omnis enim auis est animal volatile, quod habet alas scissas, aut integras; & quicquid est animal volatile, habens alas scissas, aut integras, est auis: ita non est dubitandum quin ista contineant essentiam auis. Et constat nos ea via ad hæc peruenisse, quæ exposita est, de qua in hac Methodo præcipitur; & tota in eo consistere videtur, vt in distinguendo genere, quod propositum est, prima eius differentia adhibeatur. Istud enim si diligenter effectum à nobis erit, nulla pars relinqui poterit, quæ insit in essentia rei, nec aliqua, quæ in ea non sit ad ipsam addetur; & omnes certè cognoscentur. estq́; id, eò vsque faciendum, donec ad extremam quandam differentiam ventum sit; vltra quam nulla reperitur, quæ in re insita sit, &

id

id in exemplo allato de Aue facilè videre licet: nam postrema differentia ad Auem quidem pertinet: non tamen ipsa iuncta generi, in alias diuidi valet, quæ ad auem referantur: differentiæ enim, quæ insunt in auibus, quæ habent Alas scissas, aut integras, non conueniunt ad Auem, quia Auis est, sed ad species particulares eius, ex quo ipsa habenda est extrema omnium, quæ insunt in Aue: Istud idem facilè quoque perspicietur, si Hominis essentia hac methodo inquiratur; libet enim exemplis perspicuis rem hanc totam sub aspectum ponere. In primis Genus huius distingui debet, & prima propriaq; ipsius differentia ad id afferenda. istud est Animal, prima differentia, quæ in hoc inest (sicuti dictum fuit) est, quòd aliud sit Pedestre, aliud verò non habeat pedes: sed Homo est ex ijs, quæ pedestria sunt. ita quærendum, quæ prima, propriaq; sit differentia Animalis pedestris, & est illa, quòd aliud sit Bipes, aliud verò quattuor habeat pedes. Homo est bipes. istud quoque adhuc in alias differentias diuidi debet; nàm, ex his Animalibus, quæ duos habent pedes, alia habent Rationem, alia non habent Rationem. Homo habet Ratio-

nem. sic inuentæ sunt partes singulæ, ex quibus essentia Hominis est conflata, & hæc vt repertæ sunt, ita etiam à Methodo definiendi sumuntur, & explicantur; est enim Homo Animal Pedestre Bipes habens Rationem.

CAPVT V.

¶ Declaratur hanc Methodum totam contineri distinctione Generis, quæ fit primis differentijs, multáq; de hac re præclarè disputantur.

ITA cognoscitur, hanc Methodum propriè id laborare, vt reperiat partes Essentiæ rei, ea via, aut eo ordine, quo sūt procreatæ. Nec in hac re prastanda quispiam errare potest, modò prima differentia ad quodq; genus diuidendū semper applicetur. Ac licèt istud iam intelligi possit ex illis, quæ narrata sunt, tamen antequam finis huic disputationi imponatur, placet de hac re, pauca quædam referre. si quis enim dicat Hominem V. G. esse Animal Bipes, Pedestre, qui Rationem habet, is nihil rectè loquitur, sed omnia ineruditè inter se permiscet; nam hæc differentia Bipes addita ad Animal, obscurat rem totam; non est enim ipsi propria, sed Animalis pedestris. Id autem propterea peccatum

est, quoniam non est habita ratio, vt prima differentia Animalis proferretur; Bipes enim non est prima differentia eius; quando quidem non pertinet, ad omne Animal. Itaque perficiendum omnin̄o est, vt in quacunque distinctione generis prima differentia quæratur. si ab ista quis aberret, iste gignet errores, et falsitates; etenim eodē modo, si quis velit de Animali proferre, quod habeat Alas scissas, aut integras, imperitè id faciet; nā quod declarare se putat, obscuritatibus obruit; est enim id pronuntiandum de Animali volatili, non aūt de Animali; nam cōuenit ad omne Animal quod volatile est, non aūt ad Animal omnino: sed ista nō eueniēt ijs, qui diligenter exercitati fuerint in hac Methodo, et didicerint ab ista distinctiones esse faciendas primis differentijs. Idq; sæpius, atque sæpius nos hoc in loco admonuisse, non est inutile; nam hæ latißimæ sunt, et ita complectuntur alias. facit et istud vt nihil præteriri poßit, qd̄ ad essentiam pertinet; inter primam.n.differentiā, atque genus nihil medium esse potest, quod omitti valeat. Vnde si hac vtamur, nihil peccabimus in inquirenda Essentia, quam propositum est inuenire, & omnia rectè, atque è re ipsa

sa à nobis fient, germanasq́; partes Naturæ Rerum reperimus, quas hac via inuentas, & perceptas, distinctè, & verè explicabimus definiendo, nec in illis ordine enarrandis, aliquid offendemus. sed de hac re tota nihil præterea hoc in loco narrare opus est; nam forma Rei, quæ sola nobis proposita erat in hoc Libro, iam constituta est ante oculos. Quæ de his autem latè explanari possunt, & magnas vtilitates in se ipsis habent, aliàs fortasse, si plus otij concessum erit colligemus. Nunc explanatis his duabus Methodis, idest Analytica, & Methodo diuidendi, quæ ad principia Rerum inuenienda (sicut id percipi potest) pertinent, ad aliàs Methodos veniendum est, quæ principijs Rerum positis pro cognitis, alia quæ necessaria sunt ad res pernoscendas, declarant. Quod ità efficere aggrediemur.

FRAN-

FRANCISCI TERRILII DE METHODO SCIENTIARVM, ATQVE ARTIVM,

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

¶ Persequitur alteram partem huius Methodi, quæ tradi præcepta docendi. & ait hanc esse nominatam doctrinam & esse Habitum illum, qui est recta ratio explanandi, & denique esse Logicam, & inquirit num sit habitus scientiæ, nec ne.

EXPOSITIS in superioribus duobus Libris, ijs omnibus, quæ pertinent ad eam partem huius Methodi, qua inquiruntur, illa quæ ignota sunt, sequitur, vt hic de altera eius parte loquamur, quæ facit ad explananda ea, quæ iam cognita habemus. Et hæc est doctrina *quædam, quæ declarat rationem, ac modum, quo quæque res doceri debeat. Ipsam vero, magnificam quandam rem, excellentemq; esse, & summè necessariam ex eo perspici potest, quòd si res quæque rectè, & ordine, prout ipsa præcipit, explicata sit, facilè, & sine labore intelligitur. & hæc eadem si aliter*

aliter declaretur, vix percipi potest. Hanc (vt dixi) in superiori Libro Aristoteles in principio primi libri de Demonstratione vocat doctrinam, *iamq; communis loquendi consuetudo suscepit, vt ea Logicæ sit dicta, hæcq; notio huic voci est subiecta, q sit λογικὴ διδασκαλία τις, id est* doctrina quædam Rationis *nam instruit Rationem nostram, ad Regulam, atque Viam, qua quæque Res rectè explanari potest. De hac magna inter veteres Philosophos quæstio est, quid ipsa sit. Nam alij volunt eam esse partem Phililophiæ, et Scientiam. Alij Instrumentum eius ipsam statuunt esse. Et res est abstrusa admodum, valdeq; dubia; nanque multa in vtranque partem afferri possunt, quæ quæstionem hanc inexplicabile fermè reddunt. Atque quod quibusdam placet, vt Instrumentum Philosophiæ sit, quo ipsa ad Rerum, quas tractat, Intelligentias declarandas, & ad distinguenda quæ vera sunt à falsis vtitur, id à me ita (vt dictum est) probari non potest. Licèt etiam ad id adiungant Aristotelem istud apertè iudicasse; Librum enim, qui* doctrinam *hanc continet* ὄργανον *inscriptum fuisse contendunt. ac rectius Ratio quædam, vel Doctrina*

nominari

nominari posse videtur, quàm Organum: nisi fortasse, quis nomine abutens, Instrumentum eam vocet; quòd instrumenta doceat, quæ ad Res declarandas valent. Nec (quod ad Aristotelem attinet) aliquid certi de eo quod dicunt, habere possunt; cum nullibi hac de re ipse loquatur, nec aliquis, qui ipsum audierit etiam de hoc quidquam scripserit. Sed vt cuique libet, sic ipsa nominet, modò quid illa sit, omnino perspiciat, nec in hoc fallatur. Quod nos, vt poterimus, clarè docere adnitemur. Atque in primo quidē Libro ostensum fuit, eam esse partē Methodi Scieniarū, atque Artium, ex quo ipsa erit habitus, et is, qui nō est rei cognitio, sed alter, qui est recta ratio, qua Rei natura est explananda. Et de hoc, tota quæstio est, nùm is sciētiæ nomen ēt habeat, aut quiddā aliud; nā est semper verus: neque.n.possunt esse falsæ præceptiones, quæ traduntur in ea, et valent, ad illa declaranda, ad quæ pertinent, et totus habitus acquiritur Ratione; nam doctrina certa, tota Logica est explicata; quæ enim pertinent ad notitiam propositionum, Aristoteles ratione, hoc est prænotionibus quibusdam, & principijs veris positis, declarat; sumit enim pro initio vo-

ces declarare, quæ Animo comprehensa habemus. quod est verum principium, & ipso fundatur, tota illa tractatio de propositionibus. Et item Definitiones aliquas ponit, quæ sunt principia, quibus docentur omnia, quæ pertinent ad propositiones. Nec dissimilis est ratio illorum, quæ in libris Ratiocinationum, et Demonstrationum, ab eo sunt tradita; nam tota illa disciplina stabilitur principijs, quæ ab initio ipse pro veris subijcit. etenim tum definitionem Ratiocinationis, tum Regulam de Omni, *& alia in initio ponit, ex quibus pendent omnes rationes, quæ adhibentur ab eo in tradenda tota natura Ratiocinationum. Nec minus istud etiã apparet in libris de Demonstratione; nam posita ab initio definitione ipsius* Scire, *et definitione* Demonstrationis, *ex his sumuntur rationes, quibus doctè, & verè explanat quæ qualisq; sit Demonstratio, et ex quibus effici debeat. Ita cum is Habitus totus sit explanatus ratione, & sit verus, nec possit esse falsus,* Scientiæ *nomen iure tenere poterit. nam Aristoteles in secundo libro de Demonstratione, talem vult esse Habitum Scientiæ, et eum, qui ita est, nullo alio vocabulo nominari posse dicit. Praeterea*

is

is Habitus non est Ars, nec Opinio, ergo est Scientia. non quærit de ijs, quæ à nobis fiunt, ergo de ijs quæ sunt. Itaque erit scientia. Accedit ad hoc, quòd Aristoteles, eum sæpe scientiam *nominat; nam Habitum, qui docet, rectam rationem demonstrandi, & eum, qui ipsam tenet, scientiæ nomine in initio Priorum Analyticorum, & in alijs, locis sæpe appellat. Et sanè is Habitus scientia esse omnino videtur; si quidem ea in se continet, quæ insunt, in scientia per se, est enim (vt dictum fuit) semper verus, rationeq́; traditur. Atque hæc omnia ita dici videntur, vt non solùm declarent, ipsum esse scientiam, sed etiam ostendunt id fermè aliter esse non posse.*

CAPVT II.

¶ Afferuntur rationes, quibus ostenditur hunc Habitum, qui est Methodus declarandi, non posse verè dici scientiam: postmodum explicatur quid ipsa sit.

S*ED licet, Aristoteles nominet hunc Habitum* scientiam: *tamen in libro de Partibus Animalium, vocat quasi institutionem quandam puerilem, habitum eum, quo, quæquè scientia explanari potest. Perspicuum autem est Logicam esse*

partem huius Habitus nanq; ipsa docet de ratione, qua quæq; Quæstio est explicanda; unde habitus Logices habebit maximã similitudinem cum eo, quo instruuntur Pueri: Hi verò non exercentur in cognitione Rerum, sed in ratione dicendi. Ex quo si is habitus, quo Res est explananda, distinguitur ab alio, qui rei notitiam tenet (quemadmodum ipsum distingui Aristoteles ibidem docet) certè vterque scientia esse nequit; quoniam si ità esset, eueniret, vt vna eademq; quæstio duplicem scientiã in se contineret; vnam quidem per quam notum habemus eam hac via, & ratione debere explicari, atque non alia, alteram verò, quæ est Rei, quæ ipsi subijcitur cognitio: id autem effici nullo modo potest, itaque fatendum erit Logicam non esse scientiam. Atque cum Logica valeat, ad declaranda illa, quæ tum in Artibus, tum in Scientijs continentur; esset res absurda habitum Scientiæ accommodari posse ad acquirendum habitum Artium; nam is est minus perfectus, quam alter. Atque verè Logica non est scientia; nam ipsa per se nullum fructum nobis dat, suæ cognitionis: sunt enim istiusmodi ea omnia, quæ ab illa diligenter collecta apparet,

ut si

ut si quis ipsa, per se secum consideret, nec velit ad quaestiones rerum explicandas, aliquod de praeceptis eius transferre, tota illorum cognitio sit deridenda. Id autem non contingit in illis, quae verè sunt, scientiae; nanq; & quaestiones physicae, & aliae quae sunt tractatae ab quaq; caeterarum Scientiarum, cognitione illarum Rerum, quam afferunt, Animum nostrum magna ex parte satiant; in hac enim ipse acquiescit, nec aliud quidquã requirit quod aliquid ad illam pertineat. Etenim exempli gratia, tenemus tria esse Principia, ex quibus constant Res Naturales, et Mens nostra in hac cognitione requiescit, atque sic fructum aliquem ex his capit: Secùs autem in ijs est, quae traduntur in logicis; nemo enim ipsa expetit ob se ipsa, aut ob eum finem, vt ea cognita habeat tantùm, aliquemq; fructum ex istis per se ipsa ferat, sed, vt ipsi viam dare possint, ad scientias, atque Artes. Atque sicuti via, qua itur in aliquem locum, aut in aliquã vrbem, est quoddam distinctum ab ea, nec potest eius vrbis nomen, aut aliquid de illa habere ità Logica non debet idcirco in numerum sciẽtiarum aggregari, quòd vias omnes persequa-

tur, quibus ad eas perueniri possit. Ac tametsi via illa sit certa, & sine errore ducat nos ad illas, tamen istud ipsi attribuendum non est: Namque proprium est viæ, vt certè ferat nos in aliquem locum, et ad eum finem à nobis iniri solet, vt aliquò deducamur. nec est digna nomine viæ, nisi id in se habeat. Et hac re confutantur rationes omnes, quæ ostendere videntur ipsum esse scientiã. licet enim sit habitus semper verus, & ratione traditus, tamen eo habitu nihil declaratur nisi via, quæ nos fert ad scientias quæ per se ipsam non exoptatur, sed ob scientias tantum et præcepta de illa allata viam hanc solam demonstrant, quæ Animum nostrum, nescio quo onere premerent, nisi viã adipiscendarum Scientiarum, ipsi munirent. certa item notitia certaq; scientia fundata sunt; quoniam nisi id in se continerent, nulla esset hæc via. Ex his tamen non fit, vt inter scientias sit collocanda, quia sola ratio itineris exponitur, quo imus ad scientias: per se autem, illa nihil sunt. Nec vero aliquis putet, ipsam posse nominari Artem. Primum quidem, non est ex numero earum, quæ sunt efficientes; nam illa tractat, quæ sola Ratione percipiuntur, nec

tur, nec ex his, effici potest opus, quod sensibus comprehendatur. Atque ita, nihil potest habere cum ipsis coniunctum; quoniam hæ omnes, opus quod sub sensum cadit, tantum spectant, & ad id omnem industriam suam referunt. Nec item est ex illis, quæ de re aliqua gerenda docent; quando quidem ipsi nulla actio est proposita, sed solum cognitio, vel via cognoscendi: Veteres tamen, eam interdum non solum Artem, at præstantissimam quandam Scientiam, atque Artem vocare solent: Tantamq; laudem illi tribuunt, vt cui vis aliæ scientiæ atque Arti, eam præcellere statuant. Quod optimo consilio ab eis factũ esse existimare quisque debet; nanque declarare voluerunt, sine auxilio huius, nullum aditum ad ipsas nobis esse patefactum. Vtilitatis igitur Vbertatem respicientes, et eam cuiuis indicare volentes, tam honorifica verba de ipsa habent. Re vera tamen quisque illorum nouit, eam ab illis esse disiunctã. Sine dubitatione autem, putandum est, hanc munere DEI, nobis attributam esse. Nam cognitio cuiusque rei, multis tenebris, et multis difficultatibus est obstructa, et Mens nostra in ea rudis, & eius expers, semper er-

rat, nisi quis aut dono DEI, naturaq́ ipsa hanc mente sua comprehensam teneat, aut studio, ac diligentia, postquam est natus, illam sibi cōparet. Nam est praeclara quadā Methodus, artificio scientiae exposita, quae vias docendarum Scientiarū atque Artium, nobis tradit.

CAPVT III.

De Methodo Ratiocinandi.

¶ Ait, nihil temere à se esse factum, quòd partim ea narrauerit, quae ab ipso de Logica sunt scripta, partim alia quoque de illa disputare incipiat. Post docet duas esse partes illius, et nunc ab ipso tantum eam explicari posse, quae de Methodo ratiocinādi, & de Mthodo demonstrādi differit. & copiosè ostendit, quae vis in Methodo ratiocinandi sit.

ATQVE ista quidem, de tota Logica copiosè explanare libuit; quoniam ipsa (sicuti ostensum fuit) subministrat tobis omnia fermè adiumenta, ad Artes, ac Sciētias rectè declarandas. Quod quidem in his libris mihi propositum esse, iterum, atque saepe iam dictum est. Ex quo iure, meritoq́ improbari diligentia ista mea non poterit, si de ea quaedam adhuc perscripta à me hoc loco erunt. Duo igitur ipsa profitetur: primum quidem, ut nos generaliter erudiat, ad

res

res omnes recte declarandas, quas Ratione tractamus, & ut instruat etiam nos ad scientias atque Artes tradendas: Alterum, ut de quaque re praeclarè, et cum assensione omnium disputet. Sed de hac postrema parte, quae propriè ab Aristotele est nominata dialectica, *nihil nũc loquar; nihil enim illa ad id pertinet, quod à me est institutum in his Libris, aut si quid habet cum hoc coniunctum, non est certè huius loci, ut de hoc cõmemorem. Quamobrem de altera tantũ parte, hic inquirere oportebit. Ipsa aũt proponit sibi explanãdas duas Methodos, idest tum Methodum Ratiocinãdi, tum Demonstrãdi. Quae quidẽ partim inter se consentiunt partim discrepãt. Consentiũt quidẽ, quòd utraque est habitus, qui rem explicat, posita re aliqua nota, quae ad eam declarandã valeat: Differunt autem, quòd Methodus Demonstrandi, ponit rationẽ, vel causam Rei, quae est vera causa illius, & propria in ipsa, resque illas solum explicat, quae ex causa sua cognosci possunt: Methodus verò Ratiocinãdi latius patet; solum enim viam ac modum tradit, quo posita re aliqua, quae sit nota, aut quae certè habeatur pro nota qualisqunq; ipsa sit, res alia*

ignota

ignota, rectè declarari valeat. Ex quo percipitur hanc transferri ad omnia, quæ Ratione à nobis comprehenduntur, aut sermone nostro tractantur; est enim ratio, via, modus, forma, regula, quâ dirigitur actio, quam Ratio nostra semper suscipit; nanque est insita in Animis nostris ista actio Rationis; de iis enim rebus, quas aliquo modo comprehensas habemus, semper nobiscum Ratione nostra inquirimus. Et ob eam causam istud efficimus, vt nobis cognitum sit, num aliquid Boni, aut Mali, Veriq; aut Falsi in illis sit inclusum. Cumq; id planum est factum, statuimus quæ probari à nobis, aut improbari debeant. Adeoq; munus istud Rationi nostræ proprium esse opinari oportet, vt semper ipsa illud efficiat, nec ab ea dum conclusa est in hoc corpus, auocari vllo modo possit. Cuius rei illam causam esse putare licet, quod Animus noster desiderio eorum Bonorum flagrat, quæ summa Bona sunt, & rationem ad illa inuestiganda applicat. Nec alia via, dum corpore circundatus est, vllũ aditum ad illa sibi cõparare potest, quam cognitione rerum earum, quas sensu capit. In hac igitur se se exercet, & res istas Ratione semper tractat, atque ex istis,

quæ,

quæ, cognita sensibus sunt, conatur illa inuenire, quæ ipse incognita habet, & quarum percipiendarum studio incensus est. Ac mihi quidem, Veteres Græci multa nomina, & cogitasse, & inuenisse videntur, quæ, res ipsas planè declarant, tũ verò istud, quod Rationem apud ipsos denotat, incredibili quadam sapientia ab eis fictum esse existimo; nominãt enim Διάνοιαν *eam vim Animi nostri, quam nos latine* Rationem *uocamus, et actionẽ eius* διανοεῖν, *quæ quidem uox nihil aliud designat, nisi* νοεῖν, *hoc est* Mente comprehendere; *quæ Vera Falsaq́, et quæ Mala aut Bona sunt,* διὰ τοῦ ἄλλου *id est* per aliud, *aut per aliam cognitionem, quæ ab initio à sensibus sit accepta. Ita munus istud Rationis totum refertur ad Mentem, & totum se ad eam accommodat, idq́ præclarè nomine isto est indicatum. Interdum autem Ratio nostra, per se rectè, & præclarè rem hanc conficit: interdum verò neque rectè, neque præclarè ipsam perficere potest; sed in comprehendendis rebus ijs, quas ex se ipsa tractat, errore magno capitur. Methodus igitur ista Ratiocinandi, de qua omnis sermo, nunc à me habetur, Rationem nostram, in hac re gerenda, regula*

gula quadam normaq́ dirigit, quam si intueatur, & eam semper spectet, nunquam in capienda cognitione rerum, falli poterit. Non me fugit autem, nonnullos per se, & absque Doctore istud opus egregiè tractare posse: sed hi quasi Diuino quodā Spiritu afflati, aut Doctrina per se instructi, ea vident, quæ ipsos in veram cognitionem ducunt, nec à via aberrant, quæ ad ipsam similiter deducit. Sed hos quidem in primis Beatos, quisque rectè putauerit; nam præter istud munus Rationis, quod omnes Natura ipsa magistra efficiunt, viam singulari dono tenent, quà ipso perfungi rectè possunt: sed ijs, qui tanto munere à DEO aucti non fuerunt, ista, quæ de hac Methodo collecta à veteribus habemus, magno adiumento erunt ad istud probè efficiendum; Nanque ipsa tanquam materiam, quam tractet; sibi sumit istud munus inquirendi aliquid, quod ignotum sit, ex re aliqua nota. Quod à Ratione diligenter præstatur, & de hoc accuratè perquirit, ac docet studiosè qua via istud rectè effici ab ipsa valeat, perficitq́, vt fructum aliquē cognitionis illi tribuat. Ac multa nomina Veteres Scriptores harum rerum excogitarunt, quæ hanc actionem

Rationis,

Rationis, explicant qualis sit: vnum tamen apud ipsos frequenti vsu concelebratũ est, quod quidẽ si quis accuratè percipiat, & totam eius vim diligenter comprehendat, actionemq́; Rationis, inquisitionemq́; suam totam ad hanc conformare velit, se mirabiliter instructum ad res omnes Ratione percipiendas explanandasq́; esse sentiet. Id Græci doctores intelligentes in primis vocarunt συλλογισμὸν. *et hac voce denotant orationem, qua explanatur res ratione quadã, quæ est nota, aut ponitur pro nota, & concluditur eam necessariò sic esse. Hanc latinè puto non ineptè posse reddi* ratiocinationem; *declaratur enim hoc similiter nomine, oratio facta ab ipsa Ratione, quæ explanat rẽ, de qua Animus noster inquirit. Nec alia re fundatur hæc explanatio nisi Ratione, quæ iam est percepta, aut certè quæ est cõcessa. Et hæc, id, qđ explicatur necessariò ità esse, vt explicatũ est, ostẽdit, cognosciturq́; ex his omnem ratiocinationẽ, nisi sola hac ratione declarãdi, vt notũ fiat, rem necessariò sic esse, sicuti explanatur. Ex quo, istud erit insitũ in natura ratiocinationum, & deniquè erit tota essentia, tota ratio, tota vis ipsarum. & hoc si ab aliqua illarum sit ademptum,*

ptum, illa non potest nominari ratiocinatio; *nullam enim habet viam, ad explanandam rem aliquam, & Methodus ista ratiocinandi istud sibi proponit, vt diligenter perquirat omnes modos, atque formas, quæ aptæ sunt ad id perficiendum; & accuratè etiam docet, monstratq́ locos, ex quibus materia quædam generaliter nobis est suppeditata, per quas res omnes ratiocinatione aliqua, aut confirmare, aut infirmare valeamus. Ponendum igitur est ipsam esse habitum quendam, qui omnes modos, ac vias tradit; quibus posita ratione aliqua nota, aut quæ habeatur pro nota, concludi necessariò potest rem, de qua explanatio fit, ita esse, vt est explanatum. Perspicereq́; ex his licet, vera esse ea, quæ supra de Logica, deniq́ de hac doctrina ratiocinandi dicta sunt; idest eam esse magistrā Artium omnium, atque Scientiarū: neque enim quidquam à nobis doceri de re aliqua potest, nisi adhibeamus istas ratiocinationes; & notum faciamus rem de qua verba habemus necessariò sic esse, vt dicimus. Non solum autem ipsa est nobis dux, ac magistra in explicandis, Artibus, ac Scientijs, sed ad rem quamque docendam, aut in Animis hominum*

quouis

quouis modo defigẽdã mirum quiddam ualet. Vtilitas igitur ipsius, latißimè patet, & ad omnes sermones, quos aut nobiscum habere, aut cum alijs solemus, se se diffundit, & omne scriptum, omnis disputatio, omnis sermo, qui ad hanc regulam, ac normam non habetur, vt res de qua in ipso explicatur, ita sit exposita, vt necessariò eam sic esse intelligere quisq; posit. Loquacitas quædam, strepitusq; inanis verborum potius existimandus est esse, quam sermo. Sed Iam satis de hac Methodo à me dictum esse puto; neque enim locum totum, qui ad singulas formas ratiocinandi pertinet, tractare nunc in animo habeo: nam sunt isthæc omnia ab Aristotele duobus libris magnifice explicata, quos priores Analyticos inscripsit, & ex illis, disci à quouis planè possunt: mihi enim propositum est ab initio uelle solum in his libris declarare, quæ, & quot Artium explicandarum omnes Methodi essent, & quæ vis in vnaquaque ipsarum etiam inesset. Nam si omnia à me explanarentur quæ, ad ipsas valent, ad immensam magnitudinem volumen istud excresceret. Itaquè istis sic expositis nihil amplius de hac dicam; sed de Methodo demon-

strandi

strandi pauca quædam ad ista adiungam. properaboq́; post modum in alia, quæ magnas vtilitates ni fallor studiosis præbebunt.

CAPVT IIII.

De Methodo Demonstrandi.

¶ Differit de Methodo demonstrandi, & declarat quid intersit inter ipsam, & Methodum ratiocinandi. Ostenditque nullam esse opinionem veterum, qui existimarunt, ipsam nullam vim habere ad cognitionem rerum accipiendam. Post docet eam versari in tradenda ratione demonstrationum, & præcipuè inquirere, quæ rerum materia ab ipsa tractetur, & ex quibus initia suæ tractationis ducat. Postremò notum facit eam verè esse appellandam doctrinam.

PAVLO antè dictum fuit, Methodum ratiocinandi, & demonstrandi inter se nexas iunctasquè esse quod verum sanè est: nanquè vtraq́; instruit Rationem nostram ad res breuiter explanandas, sumpta Ratione aliqua rei, pro re nota, et vtraque inquisitionē Rationis nostræ dirigit recta quadam norma, sicuti explicatum fuit. Et hæc norma, regulaq́; est eadem in vtrisque; nam quæquè ipsarum adhibet ad rem declarandam eas formas, quas Methodus ratiocinandi rectas esse statuit, ex quo ipsa tota est coniun-

cta cum Methodo ratiocinandi: & denique est pars siue species eius quæ vtitur formis ratiocinationum non aliter, atque ratiocinandi Methodus, nec absque ratiocinatione de re vlla disputare potest. In eo autem differt ab illa, quòd elaborat tantum in ijs rebus declarãdis, quæ Causa aliqua constant, ex qua sunt, & ex qua solum cognosci possunt; de quibus iam cõmunis loquendi consuetudo suscepit, vt scire propriè dicatur; nanque (vt scribit Aristoteles) & scientes, & inscientes tum putant se ipsos, aut alios scire rem aliquam, cum causam eius propriam reddunt; aut cum existimant illam esse redditam, ex quo hæc Methodus istud sibi proponit, vt hoc genus Scientiæ nobis afferat: cumq; id assequitur munus suum est omninò exequuta. Veteres autem nonnulli, qui in his rebus explanandis nimium multum diligentes esse voluerunt arbitrati sunt hoc genus Scientiæ ab hac Methodo tradi non posse: existimaruntq; ipsam esse rem quandam inanem; nec illius cognitionis fructum nobis ferre; & in hanc opinionem ea res ipsos induxit, quòd opinabantur nihil à ratione nostra inquiri posse: neque enim res notæ quæruntur, quãdoqui-

F

doquidem de his inquirere nihil est necesse, nam iam cognitæ sunt, & res ignotæ quæri non valent, quoniam à nobis ignorantur. Vnde cum hæc Methodus tractet inquisitionem illam, quam Ratio nostra adhibet ad inuestigandas, res incognitas, & illam dirigere conetur, ad capiendam earum notitiam, scientiãq; labor iste frustra ab ea in hac re positus erit. Sed isti nõ viderũt res, de quibus Ratio nostra inquirit, esse nobis partim cognitas, partim verò incognitas, atque iuquiri à nobis ex ea parte tantum, qua incognitæ sunt; & cognitione ipsarum nos assequi, quatenus illas ignoramus: nanque exempli gratia, mihi notum est herbas multas esse amaras; ignotum verò cur sint amare; aut ignota est mihi causa, quamobrem sapor amarus in ipsis insit, ratio igitur istud inquirit, & inuestigat causam, cur is sapor in illis sit insitus, quod quidem ignorabat. sed rem esse, idest ipsum saporem in eis inesse cognoscebat; & de hoc non inquirit, sed id ponitur pro noto, & inquiritur id, quod est ignotum. Vnde res partim erat nota, partim ignota; ex numeroq; harum sunt res, quæ ex causa aliqua efficiuntur, & has, vt dictum fuit; tan

tanquam materiam quandam, quam tractet, sibi subijcit hæc Methodus, & eas explanat, posita parte earum nota pro nota, & pro principio quodam quo fundare habeat totam tractationem explanationemq́ suam: conaturq́ exponere solam partem, quæ est ignota, cuius causa intus in natura ipsarum est inclusa. Infinita autem est materia harum rerum, eaque semper oculis nostris obijcitur, & excitat rationem nostram, ad inuestigandam naturam earum, cognoscendasq́ causas, ex quibus factæ sunt, hæcq́ Methodus. Docet qua via, quo ordine, qua ratione recte disputari de his possit; ex quo ipsa est existimanda excellens quædam, ac præstans Methodus in qua qui sunt instructi, hi eruditi in exponenda doctrina, scietiaq́ rerum habendi sunt. Qui verò ipsam nunquam didicerunt, caueant ne locos aliquos, aut Philosophiæ, aut Medicinæ, aut aliarum Scientiarum scriptis suis mandare velint; neque enim res ipsas explanabũt, sed omnia confusè ab eis erunt tradita, & plus obscuritatis, quàm luminis rebus afferent. Nam hæc sola scientia rerum, quæ est in voluta, explicat, atque aperit, & sicuti Methodus ratiocinandi instituit Ratio-

nem nostram generaliter ad docendam rem, quæcunq; illa fuerit, modo ipsam sermone nostro tractare velimus. Ita hac dirigit nos ad explicationem earum rerum, quæ is causis constant, sicuti dictum fuit, et ad capiendam sciētiam ipsarum Applicatq; ad istud efficiendum vnum genus ratiocinationis, quod vocant Demonstrationem:ipsa enim est ratiocinatio, quæ fit à ratione nostra, cum causas rerum scientiaq; ipsarum inuestigat: solemus enim in peruestiganda scientia harum, si notitia Causæ à nobis est percepta, & essentia rei est cognita, formare ratiocinationē, in quā posita ipsa causa pro re nota, & pro vera causa sicuti ipsam esse arbitramur. Concludimus necessario res quæ in ipsa insitæ sunt, ex illa causa effici, constareq;, & ex ea cognosci, atque ita fit, vt, hæc ratiocinatio det nobis scientiam rei, quæ erat incognita, & ipsa à Logicis proprie est nominata demonstratio; existimareq; licet, id nomen ex ea re fuisse inuentum, quod scientia rei, quæ erat inuoluta, atquè implicata sit aperta, & demonstrata. Cognosciturq; ex istis, hanc Methodum esse partē Methodi ratiocinādi; nanquè mutuatur ab illa formam ratiocinationis

su-

suæ, nec absquè hac de materia, quam sibi subijcit quidquam explicare valet. Atque nisi doctrinam ratiocinandi, formasq́; eius omnes, aliquis cognitas habeat, is de demonstrationibus audire non potest, ea enim re solum hæ, à cæteris formis ratiocinationum discrepant, quod in rerum materia versantur, quæ vera est, & scientiam earum dant. Ista autem Methodus multam operam, curamq́ ponit in colligendis, & declarandis illis, quæ necessaria sunt ad demonstrationes efficiendas; ex quo ipsa inuestigat de causis rerum, & locos tradit ex quibus ipsæ inueniri possunt; & item est diligentissima ad tractandam definitionem rei, & de hac studiosè inquirit ex quibus partibus constet, præclaramq; rationem ac viam eius inueniendæ nos docet, de qua in Libro quinto sermo habendus à nobis erit. In eo etiam quemq́ nostrum ipsa erudit, vt cum locum quendam regula ipsius tractandum suscipimus, ab initio prænotiones à nobis ponantur, principiaq́; quæ sint assumpta ex causis rei, quæ tractatur, & ex essentia eius, & admonet vt istis stabiliatur tota tractatio, nec rationes vllæ cum his sint permixtæ, quæ ex alia re sint depromptæ. Vnde ponendum

dum erit, ipsam esse habitum quendam, qui doctrina recta, tradit rationem demonstratio-num. Subtiliterq́; disputat, de tota materia quæ ab ipsis explanari potest; et inuestigat formas, ac vias, ex quibus ea rerum scientia capitur, quæ ex cognitionem causæ comparatur. Apparetq́; ex hoc ab ipsa exponi tantū posse eas quæstiones, ĩ quibus de rebus ijs quæritur quæ causas habent, istæ antē sunt tres; idest an res sit, an insit, in alia, et cur insit, et has ipsa accuratè, planeq́; explanat, certamq́; rerum earū cognitionem nobis affert. Non est autem ignorandum tum hāc, tum etiam Methodum ratiocinandi verè esse doctrinas; nam hoc est insitum in quaque Doctrina, quæ verè hoc nomine sit appellanda, vt posita prænotione aliqua, de re ipsa doceat. Idq́; studiosè à quaquè harum factum esse videmus; nanquè Doctina ratiocinandi sumit suas prænotiones, tum ab ijs, quæ sunt extra rem ipsam, de qua differit, tum ab alijs quæ in rebus ipsis fermè sensibus nostris comprehendimus. Solaquè hæc demonstrandi Doctrina, ponit pro prænotione essentiā rei, causas, eius, & deniq́; definitionem illius, explanationemq́; nominis, & hac se se totam fundat,

fundat, & in eo laborat, vt perspicuè, ac dilucidè, omnia ab ipsa fiut, exposita. Ex quo proprijs nominibus res omnes explicat, curatq; vt notiones horum, sint omnibus cognitè, fugitq; omnia nomina inusitata, ambigua, translata, & denique alia omnia, quæ aliquid obscuritatis nobis in re ostendenda afferre possunt, atquè si tractentur res inusitatæ, noua nomina facit, quæ ad naturam ipsarum accommodata sint. Atque ista de hac Methodo hic percurrimus; nam copiosè in libris Analyticis, ab Aristotele disputata sunt alia, quæ ad ipsam pertinent, & à nobis commentarijs nostris etiam aliquo modo illustrata & declarata fuerunt.

CAPVT V.

¶ Docet Methodum definiendi non posse rectè dici Doctrinam. & locum quendam Galeni, qui huic opinioni repugnare videtur; explanat. Post, ostendit istam Methodum, tractare solum principia demonstrationum. & ob eã rem tantum de ipsa in Logica inquiri.

EX ijs igitur, quæ de his duabus Methodis sunt à nobis collecta, intelligere licèt eas ita esse, vt explanare tantum possint tres quæstiones de ijs, quæ solent à nobis proponi, ac Mentibus nostris occur-

rere, in perquirenda scientia Rei. Etenim omnibus fermè, qui de his mediocriter scire unquam curarunt, arbitror cognita esse, quatuor illa genera Quæstionum, de quibus copiosè disserit Aristoteles Libro II de Demonstratione. Nanque aut de re aliqua quærimus, an res illa sit, aut quid sit, aut an aliquid insit, vel cur insit; Expositum itaque supra fuit, Methodum Ratiocinandi, atque Demonstrandi, tres solas ex his, idest an sit, an insit, & cur insit, posse explicare, tractare, atque perspicuas efficere. Quæstio autem quid est, quæ sola relinquitur, sic est facta, vt ratione vlla doceri non valeat; etenim in ipsa inquiritur, Essentia, Natura, & Diffinitio Rei: nullus autem modus ex ijs, qui traditi sunt à Logica, et à Methodo ratiocinandi ad hanc declarãdam aliquam vim habet; quisque enim ipsorum fundatur ratione. Sed hæc nobis deest in hac re, nec ex aliquo loco vlla ratio trahi, aut inueniri potest, quæ ad hanc exponendam valeat; etenim si quis Exempli gratia velit ostendere, Hominem esse Animal, quod habet Rationem, aut Tonitruum esse ignem, qui extinguitur in nubibus. vnde rationem aliquam, quæ apta ad istud sit, de pro-

mere possit, non reperiet. Neque enim istud ostendi potest, rationibus sumptis ex initijs Rei; quia ipsa sunt eadem essentia rei, & prima initia, ex quibus Natura eius constat. Sic igitur, idem declararetur eodem, quod est ridendum, sequereturq́ idem. Nec etiam ad hoc valent rationes, quæ dicuntur ex postremis partibus Rei, aut ex ijs quæ postremò sunt facta, à Natura in re ipsa; nanquè ista possunt tantum ostendere, aliquid esse, aut rem aliquam esse: aliud autem est declarare esse partes rei, aliud quid ipsa res sit. Ex quo efficitur, vt id nulla ratione declarari valeat. Nec Mehothus definiendi est doctrina, qua Definitio de re, quæ definitur ostendi possit; omnis enim doctrina (vt iam ex ijs, quæ hactenus disputauimus, clarè perspicitur) posita aliqua prænotione declarat aliud, quod est ignotum, idq́ non contingit Methodo definiendi: neque enim Definitio, aliqua re præcognita docet aliud, quod non sciatur. sed est quid proprium, quod appositum ad rem, quæ definitur, distinctè explanat essentiã eius, quæ confusè nomine ipso tota continebatur. nec quid veri, aut falsi dicit, sed partes essentiæ rei, quæ latebant, exponit ante oculos, declarans

rans hoc modo quid res sit. Et ob id ex disciplina Aristotelis intelligimus, Methodū definiendi nihil aliud esse, quàm Rationem quandam, & viam, qua collectis ijs Prædicatis, quæ explicant quid res sit, & singulis suo loco dispositis, hæc applicantur ad Rem; vt notum fiat quid ipsa sit, vel quæ sint intima initia, ex quibus eius natura constat. Quare nomen doctrinæ, *merito habere non potest. Et quamquam Galenus, vir admirabilis in Medicina tradenda, dicat tres esse Doctrinas, quibus exponi possunt tum Artes, tum omnia, quæ in singulis alijs Scientijs explanantur, & vnam ex his appellet* doctrnam definiendi: *Tamen facilè est cognoscere, eum non loqui de illa, quam Aristoteles, & alijs veteres Peripatetici nominant* Methodum definiendi; *nam apparet ex ijs, quæ de ipsa diximus, hanc non esse aptam, ad explicandas Artes, ac Scientias. Sed ipsi libuit nominare* Doctrinam definiendi *modum quēdam declarandi, quo, posita Definitione (verbi gratia) ipsius Medicinæ, aut alterius cuiusuis Artis, vel Rei, breuiter explicantur omnes partes ipsius Definitionis. Et ità, quia is modus totus versatur in explananda Definitione,*

&

& totus ad ipsam refertur, ob istud appellatus fuit, Doctrina definitiua. *idest doctrina quæ sumit breuiter explanandam definitionem generalem alicuius Artis, aut Scientiæ, nec argumentationibus, aut alia ratione declarandi eam explicat, sed solum affert definitiones eorum, quæ generaliter illa definitione comprehensa sunt. Atque ita sigillatim omnia percurrit, atque attingit, quæ ad Artem, aut Scientiam pertinent, et ab ea sunt tractata, nec scientiam ferè, aut notitiam rei alicuius quæ incognita sit aliam dant, nisi eam, quæ Definitione acquiritur, sed tantum ad memoriam reuocat, quæ alibi explanata fuerint. Ob quam causam, solum excogitata etiam ab aliquibus esse videtur; neque enim hæc ratio exponendi ad aliquid aliud proficit (sicuti Galenus etiam ipse admonet) nisi vt facilius memoria teneri possint, quæ iam alibi Demonstrationibus, & Definitionibus sunt tradita. Ex quo, Methodus definiendi, verè* doctrina *dici non potest. nec etiam propriè pertinet ad Logicam, quidquam de ipsa differere; quoniam (vt dixi) non est Methodus docendi. Logicaq; aliquid aliud non curat aut tractat, nisi has Methodos, quæ docent.*

docent. Propterea autem de hac disputat Aristoteles in II Lib. de Demonstratione; quoniã ipsa suppeditat mediũ demonstrationi, nec absque cognitione huius, potest verè medium percipi. Ita eius cognitio est necessaria ad Methodũ demonstrandi; et ob id tantũ de illa quærimus in Logica. Quod satis declarant illa, quæ de hac ab Aristotele in initio II Lib. de Demonstratione sunt disputata: Nãquè vt doceat Definitionẽ necessario esse medium Demonstrationis, in primo cap. ostendit quatuor tantũ esse ea, quæ de re aliqua sciri possunt. post in II docet non posse ipsa sciri, nisi medio, et id mediũ esse Quid est, vel Definitionẽ. Sic ex his efficitur, vt Definitio quia est mediũ, quo percipiũtur oĩa, quæ sciri possunt, necessariò sit mediũ Demõstratiõis quoniã ipsa gignit scientiã. Et ob hãc causã in III capite, proponit se velle quærere, quem locũ hæc habeat in Demonstratione, et quid ipsa sit, ac quæ definiri valeant; nam si hæc oĩa percepta habebimus facilè cognoscemus quod nam mediũ sit Demõstrationis, et quomodo reperiri possit. Vnde apparet de ea in Logica quæri, nullã aliã ob causam, nisi, quoniã est fermè pars Methodi demonstrandi: sed ipsa verè doctrina *appellari nequit.*

Ca-

CAPVT VI.

¶ Rationibus confirmat, Methodum Analyticam non esse similiter doctrinam et vim totam eius hic strictim tangit, colligitque in vnum breuiter, quæ in his Libris, latè disputata sunt.

QVOD idem, & de Methodo Analytica dici potest; quandoquidem, neque ipsa aliquid docet; neque enim quia docere potest, nisi ratione, aut medio, aliquo, istud concludatur. Quod nullo modo efficit, hæc Methodus; nam ipsa, solum valet ad inquirendum aliquid, aut inueniendum: quæ verò inuenta sunt, post declarantur aliqua Methodo, quæ docendi vim habeat, quales duas tantū esse posse iam multis rationibus confirmatum est à nobis. Ob quod etiā Aristoteles, vocat eam disciplinam, quæ ratione fit, *et vult ipsā distingui à* doctrina *in initio primi Libri de Demonstratione. Idq; etiam ex illo perspici potest, quòd si ex quaque explanatione remoueantur ista duo genera docendi, ità quod neque afferatur aut Ratiocinatio, aut Inductio, aut Demōstratio aliqua, nihil omnino, illa tractatione aut doceri, aut explanari potest. Ex quo confitendum est, ipsam nō esse* doctrinam: *Illud tamen verè dicere, licet hæ oēs Methodos*

ità

ita inter se nexas esse, vt altera ab altera separari non possit. Nec aliquis intelligere potest, quæ sit vis cuiusq́, & quomodò ad res tractandas applicari debeat, nisi is omnes egregiè cognitas habeat Nequè enim Demonstratio quidquam valet, nisi definitio prius posita sit. nequè hac, absq́ Via Analytica, vti in aliqua re fermè licet, nisi aut Inductio, aut Ratiocinatio aliqua, in eius tractatione permisceatur. Et propterea, existimandum est, ab aliquibus eam doctrinam *esse nominatam: ipsa tamen propriè est Methodus, quæ inquirit Ratione ea, quæ in re insunt, aut quæ sunt necessaria ad eam efficiendam. Quod superiori Libro diligenter est à nobis expositum. Vnde tenendum erit, duas tantum esse doctrinas, quibus Ratione explicari de ijs potest, quæ in Artibus, atque in Scientijs continentur; quandoquidē ex alio loco vllo sumi non possunt prænotiones, nisi aut ex principijs rei, aut ex his quæ sunt profecta à principijs De quibus, cum à nobis hæc breuiter sint explicata, perfectum magna ex parte illud arbitror, quod ab initio susceptum à nobis fuit; nam totam Methodum Scientiarum, atque Artium declarauimus; notum enim feci*

mus,

mus, eam habere duas partes, vnam inuenien di, alteram declarandi, & vtranque biparti tam esse; quoniam vtraq; prænotione nititur. Quæ non potest sumi, nisi aut ex principijs rei, aut ex ijs, quæ postremò nata sunt ex ipsis. Ita Analytica, ex postremis inuenit. Diuiden di ratio ex principijs. Demonstrandi Methodus, principia rei cognita sibi proponit, & per hæc rei Scientiam dat. è contrariò Inductio, Ratio cinatioq; sumptis, pro notis ijs, quæ rem consequuntur, per ista declarat reliquam naturã rei. Sed de his, nihil præterea hoc in loco, aut admodum pauca à me dicenda sunt; nam omnia, iam planè disputaui, de quibus mihi disserendum esse constitueram. Breuiter autem ipsa tetigi; quoniam ab initio istud solum oneris mihi imposui, vt formulam huius Methodi, quæ à nullo hactenus ex Veteribus, aut ex nostris Philosophis perspicuè declarata fuit, eru ditis ante oculos ponerem; nam alia multa, quæ ad hanc pertinent copiosè sunt perscripta ab Aristotele In duobus Libris de Demõstratione, & nos, ibi ea latè, Commentarijs nostris ex planauimus. è quibus assumi possunt, quæ huic disputationi deesse videntur. Nunc verò vt

quisq;

quisque dilucidius cognoscere valeat, ex quibus partibus tota hæc Methodus constet, & quæ qualisq; quæque ipsarum sit, non grauabor ad hos Libros, quos iam conscripsi alios tres adiungere, quorum alter integram prænotionum intelligentiam nobis clarè subijciet; in altero verò declarabitur locus Galeni, qui Rationem triũ Doctrinarum amplectitur: Nam hæ maximè valent ad illa percipienda, quæ hactenus docuimus. Atqui alius à nobis etiam Liber scribetur, qui erit extremus omniũ in quo de illo Habitu disputabimus, quem ab Aristotele quasi puerilẽ quandam institutionem appellatam esse diximus. Sed prius de istis tribus Doctrinis exponemus, quænam, quæquè ipsarum sit, & quid omnino possit. Deinde de prænotionibus, in altero Libro diligenter agi à nobis poterit.

FRANCISCI TERRILII DE METHODO SCIENTIARVM, ATQVE ARTIVM,

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

¶ Dicit se velle explanare locum quendam Galeni, in quo ipse disputat de tribus Doctrinis, & clarè ostendit duas ex his diligenter à se fuisse expositas. Sed in eo differre à Galeno quod alijs nominibus ipsas appellauerit. Ad extremum promittit se de tertia Doctrina præcepta daturũ esse.

SED, Vt nihil in his libris à me sit prætermissum, quod aliquid luminis afferre valeat ad ea per fectè intelligenda, quæ supra disputata sunt; placet mihi locũ quendã Galeni hic explicare, qui has Methodos fermè oẽs in se ipso continet, et notũ facit, quam vim, quæquè habeat. Ipse igtur in initio libri illius, qui est inscriptus Ars Medendi, scribit tres esse oẽs Doctrinas, quæ ordine rem aliquã complectuntnr, & ordine explicationem illius faciunt: atquè vnam quidem earum ait esse Doctrinam, quam ipse Analytiam nominat; alteram verò Doctrinam Compositiuam, vel Doctrina

quæ declarat compositionem rei: Tertiam autem nominat Doctrinam definiendi, atque satis apertè ex ratione loquendi, qua vtitur, intelligere possumus, eum existimare Doctrinam Analyticam, & Compositiuam esse inter se se nexas. Nam dicit Doctrinam Analyticam esse primam: quoniam facit ad Inuentionem Principiorum rei. Huic post adiungenda est Doctrina Compositiua, quæ initium docendi sumit à primis initijs iam inuentis à Via Analytica; & singula ex ordine declarat, prout rei essentia ex ipsis constructa est ab Arte, aut à Natura. Tertiam verò vult esse distinctà ab his vtrisq; & appellat eam Doctrinam Definitiuam, vel Doctrinam, quæ tota nititur definitionibus, nec argumentationes, aut explanationes rei, vllas affert. Atque sic ipse existimat non posse relinqui aliquam aliam doctrinam, quæ de re aliqua, ordine disputare valeat; sunt enim tantum istæ tres, vt ipse palàm pronuntiat ibi in initio eius Libri. Vnde iure optimò quis fortasse hoc loco diceret, ea omnia, quæ exposita à te hactenus sunt de istis Methodis, omnes Methodos in se ipsis comprehendunt, quæ pertinent ad aliquam. Artem, aut Scientiam

tiam ; nullam tamen ex istis tribus Doctrinis (quantum intelligere licet) explanare videntur : Itaque ipse, rem hanc totam diligenter complexus non es. Atque ego hoc loco à quouis in primis peto, vt nomen ipsum Doctrinæ in hac re mihi inuidiam aliquam non faciat; nanque à me dictum fuit iam, ante Viam Analyticam non rectè posse nominari Doctrinam; quoniam existimo hoc nomine propriè declarari Habitum quendam, qui argumentationibus de re aliqua differit; nam docere ij dicuntur, qui Rationes, & Causas rei narrant, & ob hanc causam in his Libris omnibus Analyticam Methodum nunquam vocaui Doctrinam. Si quis verò aliter sentiat, appellet, illam pro suo arbitrio Doctrinam; neque enim istud ad rem multum interest; sed is intelligat, hanc præteritam à me non esse : nanquè semper nominata fuit, vel Methodus Analytica, vel Methodus Reuertendi, aut Inquirendi; & de tota ratione ipsius, multa explanata sunt. Doctrinam verò Compositiuam quisquè cognoscere potest esse Methodum Demonstrandi; nam Demonstratio rem declarandam suscipit eo ordine, quo effecta est à Natura; ex quo ista Do

ctrina, quæ ſibi proponit explanationem rei, pro ut ipſa eſt inchoata ex primis initijs, & conſtructa ex alijs, atque alijs partibus, nihil differt a Demonſtratione. Atquè iſtud verum eſſe, clarè perſpici poteſt ex Scientijs Mathematicis; nam iſtæ ſolis Demonſtrationibus vtũtur: etenim ad res explanandas adhibent demonſtrationes, & ex primis rerum earum, quas perquirunt principijs, ab initio illas conficiunt, poſt gradatim ſingulas partes exponunt, & ad eum ordinem, quo extructæ ſunt, illas dirigunt. Etenim tota vis harum, atquè ſumma præſtantia, in eo maximè elucet, vt rerum earum, quas tractant Cognitio non aliter capiatur, quam Eſſentia illarum conſtat, aut formata eſt. Itaque tota illa Doctrina eſt Compoſitiua: nam rerum earum compoſitionem, præclarè ante oculos conſtituit. Vnde ex iſtis appa ret, multa à nobis eſſe diſputata, quæ declarant qualis ſit hæc Doctrina, & quod munus habeat; atque hanc non ſolum Doctrinam verè appellari putamus, ſed præclaram quandam, excellentemq́ Rationem docendi ipſi attribuimus; quæ præſtabilem, & quacunque alia magis expectendam cognitionem in nobis gignit.

Quia

quia tamen vis huius Doctrine Compositiuæ latius multò patet, & ad eam materiam accommodari potest, quæ Demonstrationibus percipi non valet, ob hanc causam existimamus, etiam hanc Doctrinam complecti quanq; argumentationem. Sed paulò post, de hac re, distin tius quædam à nobis tradentur, nihilq; præter mittetur, quod perfectam, & plenam eius notitiam afferre valeat. De Doctrina verò Definitiua: quam Galenus tertiam ponit, nihil hactenus locuti sumus: quoniam apud Aristotelem præcepta tradita de ipsa non extant. Quod etiam à nobis supra tactum aliquo pacto fuit, nihilominus, si DEVS OPT. MAX. hũc laborem nostrum fortunabit, de ipsa etiam diligenter inuestigabimus. & docebimus, quænam illa sit, atquè quod munus profiteatur, & quam ob rem vel Galenus, vel aliqui alij antè ipsum illam excogitarint, aut ad quas res illam vtilem esse voluerint.

CAPVT II.

¶ Proponit ea de quibus agere constituit; & simul etiam perquirit de sententia Galeni, quæ loco allato breuiter ab illo denotata fuit. Deinde demonstrat has duas Methodos idest Analyticam, & Compositiuam latissimè patere; & ità inter se copulatas esse, vt ad quamq; Artem explanandam, aut Scientiam, ambæ vnà applicari debeant, & altera absque altera nihil fermè valeat.

NVNC verò cum Galenus dicat ex his tribus Doctrinis, primam esse Analyticam, atquè post hanc esse applicandam ad explanationem rerum Doctrinam compositionis rei, de hac re tota libet pauca quædam inquirere, quæ dilucidiora efficient ea, quæ in superioribus Libris narrata sunt. Sæpius à nobis dictum fuit, in his libris Methodum Analyticam, & Doctrinam Demonstrandi esse germanas, ac socias, nec alteram ab altera separari fermè posse. Istud, hoc loco tangit Galenus; & significat in aliqua Arte, & Scientia, (si modò diligenter ab aliquo ipsa tradi debeat) opus esse, vtranque Methodum applicare, atque primum à nobis adhibenda est Methodus (vt ipse palàm prædicat) Analytica, post Doctrina Compositiua, & causam huius red-

reddit. Nam(ait) ex notione finis eius, ob quē, quis Artem, aut Scientiam inquirit, aut tractat partem aliquam ipsarū, reperiri ea omnia, quæ necessaria sunt, ad ipsum assequendum; & istud effici à Via Analytica, quod ipse planè ibi declarat. Atquè ex verbis eius perspicuè intelligitur, nullum aliud huius Methodi munus esse, quàm, vt reperiat & colligat in vnum illa omnia, quæ pertinent ad finem propositum; & ista exquirat, atquè inueniat ex sola cognitione finis: et post sic inuenta offerat Doctrinæ Compositiuæ, quæ quidem ista omnia sumens tanquā Materiam quandam, ipsa tractat, atque exponit, vel applicat ad rem efficiendam. Cognoscimusq́ ex istis, quæ hic tradita sunt, hanc Methodum latissimè patere: nanquè ad ea omnia necessariò applicanda est, quæ ob finem aliquem sunt genita à Natura vel à nobis, aut aguntur etiam. Et id in primo Libro copiosè nos quoquè ostendimus. Verùm (sicuti ex hoc loco constat) Analyticam ad ista omnia aptam, necessariamq́ esse, sic etiam Doctrinam Componendi, in eisdem istis omnibus necessariò locum habere similiter perspici potest. Etenim nemo, in perquirenda Materia aliqua laborat, nisi propositum

ipsi sit, postquam illam inuenerit, ipsam vel tradere ordine, & docere, & ità finem, quem optat essequi, vel applicare ad opus efficiendum vel finem alium consequendum. Nequè enim ob aliam causam attinet quidquam in peruestigãda Materia laborare; ex quo percipitur infinitam ferè esse Materiam rerum, quæ sub vtrisq; istis, Methodus est subiecta. Etenim notum est quidquid agitur ab Hominibus, ob aliquem finem agi, & hec omnia, quæ supra, & infra sunt, admirabili, & diuino quodam artificio à DEO effecta esse, cernimus; in hisq; construendis, & in minimis ipsorum partibus, finem aliquem Naturæ, ac DEO propositum esse constat. Itaque ad ista omnia hæ Methodi vim suam transferunt, & est res quidem præclara distinctè percipere, quid propriè Analytica, quidq; Compositiua efficiat, aut valeat in singulis ijs quæ ab Hominibus præstantur: sed nihil neque tam præstans, neque tam admirandum esse valet, quàm posse aliquo pacto Via Analytica reperire, ex quibus constent, quæ à Natura, & à DEO sunt constructa; & hæc, eadem componendi Doctrina eruditè declarare. Istud ego vnum de humanis operibus, longe maxi-

maximum esse arbitror, ac si quis ità in omnibus philosophetur, vt quæ inquirit omnia ad normam hanc, nobis præscriptam, ab his duabus Methodis tractet; hunc ego inter paucos singularem quendam philosophum iudico. Sed redeamus ad rem. Cum igitur tàm ampla, patensq; sit Materia rerum, in qua versantur istæ duæ Mtehodi, perspicuum est, non posse istàm totam Demonstrandi atione r explicari. Confitendum itaquè erit Componendi Doctrinam, non solum constare Demonstrandi Methodo, sed etiam Argumentandi; vnde illa inquiret, quæ sunt in re, & explanabit ista eadem tum Argumentationibus, tum Demonstrationibus: qualis enim Natura rei, fuerit, talis ad eam applicabitur Ratio. Atque ex istis perspici etiam omninò potest, quænam sit societas, qua inter se consociatæ, sunt istæ duæ Methodi. Nam hæc summa est, nec Ars vlla, aut Scientia perfectè doceri potest, nisi quis ad eam explananadam vtramque hanc Methodum applicet. Quod ob eam causam efficitur, quia cuiusque Rei Natura temerè, & inconsideratè non est tradenda, sed in primis quærere oportet, ex quibusnam partibus, & ex quibus ini-

tijs, ipsa constat, & cauendum, nè quid ex istis sit omissum, post modum singula hæc ordine sunt declaranda: & hæc ab aliquo rectè effici non possunt, nisi ista in vtrisq; his Methodis diligenter sit institutus, & vtranquè afferat ad ista tranctanda, Via Analytica, inueniet partes, & initia rei. Deinde Doctrina componendi, singula diligenter, percurret, & docebit causas, ob quas ità comparata sit Natura Rei, & habeat tales vires, atque tales. Ex quo si ambæ istæ Methodi simul iunctæ sint, & ad rem ipsam rectè accomodentur, perfectæ totam Rei Naturam, & partes eius inuenient, perfectè docebunt, nihil omittetur, quod necessarium ad ipsam sit, nihil addi poterit, quod inutilæ appareat, atquè ita perfecta rei notitia capietur. Et hæc vera esse, ex Aristotele ipso disci potest, atquè ex alijs Veteribus Philosophis, qui in explicandis singulis partibus Philosophiæ, & in alijs Artibus tradendis, diligentissimi fuere. In primis ipse Aristoteles, ad tractandam doctrinam Demonstrationum, ambas has Methodos præclarè, & eruditè adhibet, & totam illam tractationem, proponit nobis tanquam exemplar, quod imitemur in omnibus

nibus ijs, quæ à nobis explanantur. Etenim in primo Libro de Demonstratione, cum exposuisset quid sit scire, *& constituisset Definitionem huius, tanquam initium quoddam; quoniam ipsa continebat finem, ob quem explanabantur ea omnia de Demonstratione, quæ ibi ab eo sunt collecta, sic Incipit de ipsa disserere;* si igitur scire Ita est, vti positum fuit à nobis necesse est Demonstratiuã Scientiam, esse ex primis, & ex veris, & ex alijs. *Vnde ex hoc loco clarè cognosci põt, ipsum primũ Via Analytica, hoc est ex notione finis, ea inuenisse, ex quibus cõstat essentia Demonstrationis. & ità ipsa oĩa in vnũ cõgregata, in primis perscripsit ex ordine, atq; deinceps statim de singulis Doctrina cõponẽdi disputat; nã docet cur veræ sint Propositiões, cur primæ, cur absq; medio; et alia diligẽter psequitur, istudq; apud eũ perspicuè legi põt, nec aliter id est, atq; à me nũc est dictũ. Sed præter doctrinam Demonstrationis, est ẽt videre, totam Philosophiã Naturalem, hac eadẽ ratione, vel his duabus Methodis explanatam ab eo fuisse; etenim in initio Physices ex notione finis, quem propositũ habebat in illa tradenda, idest, ex notione Scientiæ Rerum Naturaliũ, indicat*

esse

esse necesse ante omnia, inquirere de initijs ex- quibus constant Res Naturales; quoniam Scientia ipsa, aliter acquiri non valet. & distinctè totam notionem explicat; nam ait esse inueniendas causas primas, veras, et absquè medio, quod idem, dixerat de notione Scientiæ in Libro de Demõstratione. Vnde in illis Libris primum accuratè de primis causis, atque initijs Rerum Naturalium inquirit, & istis explicatis, Doctrina componendi, statim docet, ex his primò Naturalia Corpora constare, post peruestigat de proprietatibus, quæ in eis insitæ sunt. Nanque persequitur diligenter, omnes rationes Motus, & disputat de Ortu, atque Interitu ipsarum, aliaq́ omninò perquirit, quæ ad Scientiam pertinent, quam tradendam susceperat: Ex quo non est dubitandum, quin ipse Aristoteles, istas Methodos semper simul coniunxerit, atque viderit non posse alteram ab altera rectè segregari, sed necessariò simul iunctas, esse adiungendas ad explanationes ipsas. Veteres etiam alij, istarum vim cognitam habuerunt; nanque Medicina tota ad normam harum, ab illis explanata fuit. Doctus Auicenna, statim in principio illorum Librorum, quos de Medici-

Medicina conscripsit, ponit, Definitionem totius Medicinæ quo quidem declaratur, sibi propositum esse in illis Libris ea colligere, quæ Bonam Corporis Valetudinem conseruare possunt, ipsamquè instaurare, aut innouare cum opus est, & Morbos ex Corpore eijcere. Itaque ex hac notione huius finis Via Analytica, idest redeundo à fine ad prima initia, à quibus is est genitus, aut gigni potest, aut omninò proficiscitur, inuenit primiū ea omnia, quæ ad ipsum assequendum necessaria sunt, et ex ordine descripta nobis ante oculos ponit; nam congregat ab initio in vnum locum ea omnia, quæ sub Medicinam sunt subiecta, hoc est ea in quibus ipsa versatur, aut quæ ab ea tractari possunt, vt finem propositum assequi valeat. & ita istis omnibus ibi collectis, de singulis Doctrina componendi disserere aggreditur. nam in istis explicandis tota explicatio, ordine, & ratione componendi procedet; primum enim de ijs explicatur, quæ magis generalia sunt, post ab istis gradatim ad ea peruenit, quæ propriè Rem ipsam contineat, vnde tota explanatio Doctrinæ componendi constat, et palam apparet eum imitatum fuisse Aristotelem, atque rectè de his ab

illo

illo disputatum esse. Sed ista in præsenti satis sint, ad declarandum has Methodos esse inter se se copulatas, & maximè aptas ad omnes Artes, atque Scientias tradendas; nam accuratius etiam suo loco notum fiet, ad quamquè nostram actionem, ipsas necessarias omninò esse.

CAPVT III.

¶ Ait aliqua seorsum esse disputanda de vtraquè Methodo, vt accuratius perspici possit, quæ quaque ex ipsis vis sit. Deindè de ipsa Analitica, latè disserere incipit.

V*ERVM antequam ista tradere aggrediamur, separatim de vtraquè diligentius quadã declaranda sunt, ex quibus perspiciamus quomodò quæquè ex ipsis munus suũ obeat, et quomodò quisq; ità in his instrui possit, vt ad regulam harum ea inueniat, quæ ad rem ipsam faciunt. & de singulis demùm rectè disputet, ac disputando quæquè nota, & perspicua efficiat. Ac primùm quidem de prima, idest de Analytica dicendum est. Hæc primum se se nobis offert, in quaquè re exponenda. Et cur prima sit, ex re ipsa cognoscitur; etenim præbet materiam quæ tractanda est: nisi hæc primum subsit, non stat, aut constat vlla Disputatio. Ex quo, primùm laborandum*

est,

est, in inuenienda materia rei, de qua disputatur. post Doctrina aliqua est explananda. Ac sine dubio, præclarum quoddam opus mihi suscipere videtur hæc Methodus. etenim declarat qua via inuenıri possint, quæ ad rem aliquam pertinent, de qua Ars vlla, aut Scientia inquirit, nec id temerè, casuq́ nos efficere docet, sed certa quadam via, et ratione. Quæ quidem Via, doctrina *propriè dici non potest; quoniam nihil docet. Sed est verè Methodus; quia via quadã, sine errore ducimur ad res ipsas, atquè ibi eas inuenimus, vbi sunt. Et ob hãc causam nomen istud* Methodi, *propriè in hanc conuenit. Quod Galenus etiam adnotat; nanquè scribit, Analyticam Methodum, in eo superare Doctrinam Definitiuam; quoniam est tum magis præstans, quàm sit ipsa, tum magis Methodum in se continet. etenim certa via, & vera, solùm nos ducit ad Res. atquè vbi inuentæ sunt, nihil præterea de his laborat. Aliæ verò Doctrinæ hoc nomine appellantur, quòd inclusam in se habeant Methodum. idest quòd recta via aliquid doceant; nam Argumentandi Doctrina,* Methodus *ob id appellatur; quia certa Via Argumentationes dirigit. item &*

Demon-

Demonstrandi Methodus, & rectè quidem id fit; nam si ablata ab eis sit Methodus, vel recta ratio, ac, via; qua aliquid tradunt, tota vis ipsarum corruit. Itaquè ipsa verè est Methodus, qua certa via inquiritur, aut inuenitur quidquid ad Artem aliquam, aut Scientiam necessarium est. tantumq; in hac re potest vt omnis nostra Inquisitio, quæ hac via non dirigitur, inanis habenda sit. Nec solum in hoc nobis ostenditur vis eius, sed nulla alia via rectè distingui possunt, quæ ad Artem verè pertinent, ab ijs, quæ ad ipsam non pertinent, quàm hac. Et hæc omnia ob eam causam in ipsa contingunt; quoniam omnem actionem suam fundat Fine, qui propositus est in quaque Arte, & Scientia, atque ad notionem eius omnia perpendit. Sed nos in primis, de Artibus pauca quædã afferemus, ex quibus percipictur vera esse, quæ nunc a nobis tacta sunt. post Scientias percurremus. Ad extremum explicabitur à nobis de magna atque incredibili vi, quam Analytica simul, et Componendi Doctrina nobis afferunt, ad Sapientiam comparandam & Vitam nostram Beatam efficiendam.

CA-

CAPVT IIII.

¶Docet quanquè Artem efficientem, à Methodo Analytica, & à Methodo componendi; omnem vim suam habere, Et distinctè declarat, quomodo ex his vtrisq; quæquè ex ipsis constet, & opus suum perficiat, quod tanquam Finem sibi proponit.

CONSTAT quanquè Artem (de ijs tantùm nunc loquor, quæ Efficientes sunt) esse rectam rationem, qua opus aliquod, quod Sensu comprehenditur, perfici potest. Etenim Ars, quæ tractat exædificationem Domuum est talis. & item illa, quæ constructionem Nauium docet. atque similiter, quæ pertinent, ad texendos Pannos, atque Teles, & deniquè quæquè alia (modò ex illarum numero sit, quæ Efficientes Latinè sunt nominatæ) in aliquo opere efficiendo laborat, atquè post effectionem ostendit opus, quod Sensibus ipsis cerni potest. Omnes igitur hæ Artes, ità cõstant ex his duabus Methodis, vt si alterutram harum ab aliqua ex istis auferas, nulla omninò relinquatur Ars; sunt enim ambæ hæ Methodi sic permixtæ cum quaquè Arte, vt tota essentia ipsarum, tota ratio cuiusq; ex ipsis his duabus Methodis, omninò contineatur. Nam

duo necessaria sunt in quaquè Arte; ideſt tum materia, in qua, aut ex qua opus extrui debet; tùm modus, quo ex hac materia iſtud opus perficitur. Sed primum Via Analytica ſibi ſumit; etenim ſatis cognitum eſt, ipſam id profiteri, vt materiam & inueniat, & ſuppeditet: ad alterum autem, pertinet Componendi Methodus; hæc enim quomodò extrui, componiq; res poſſit, præclarè docet: ſed ipſi præſto ſit materia, oportet; niſi enim hæc iam adſit, & muta eſt hæc Methodus, & nihil conſtruere valet. Ex quo, vtræquè hæ Methodi, quanq; Artem efficiunt, atquè continent. Etenim qui Artem comprehenſam habent, hi tenent rationem, qua opus aliquod effici poteſt. & hæc conſtat his duabus Methodis. Ex quo hæ totam Artem in ſe habent, atquè in quoquè opere iam facto, iſta apparent; nam tum materia in ipſo cognoſcitur, tum modus, quo tale eſt redditum. Iſta non poſſunt extare, niſi adhibita ſit vtraquè Methodus: igitur quæquè Ars iſtas tenet. Ars eſt habitus inſitus in Animo, vnde non poteſt quid Arte effici, niſi prius iſtud Animo conformatum, & diſtinctè effectum ſit. Itaquè quiſquè Artifex, primùm Arte ipſa in Mente ſua effingit,

git, atque conformat Exemplar Operis eius, quod efficere cogitat, postmodum istud intuens, ad huius similitudinem, conformat Opus in materia aliqua, vel ex materia, quod Sensu cernitur. & istud continet expressam similitudinem illius, quod est impressum in Mente: si praeclarum est Exemplar, Opus est praeclarum, si secus, non est praeclarum. Resq; haec tota, ità omninò est; nam primò, Ars his duabus Methodis Exemplar Operis effingit, post haec eadem, id quod absq; materia conformauit in Mente, extruit in materia. Ita Ars semper est causa efficiens, non autem Exemplar, sed id praecedit Opus extructum in materia, nec species, aut figura Domus, Mente efficta ab Artifice, quidquè agit, in extruenda Domo in ipsa materia, sed Artifex eam sibi proponens, vi Artis aliam format, ex materia. eodemq; ordine vtraquè Domus construitur, cùm in Mente, tùm extra Mentem; quia in vtraquè adhibentur hae Methodi. Et Analytica ex fine, extremo primùm inuenit id quod est magis proximum ipsi extremo, et ità ab eo redit ad primùm; id est ad id ex quo primo Domus extrui debet, & est illud quod vltimo loco inuentum fuit.

Componendi verò Methodus ab hoc incipiens, ex ordine singula adhibet, quæ iam inuenta sunt. Non longè ab eas, Finis ob quem extruitur Domus, est conseruatio rerum; ex hoc primùm se se ostendit nobis tectum; nam ante omnia opus est ad id operculo. istud non potest constare absquè parietibus, hi erigi non valent sine fundamentis. Ità Analytica, ab extremo Fine proposito, reuertitur ad id, quod primo est faciendum, & ab hoc initium sumit componendi Methodus, & primo fundamenta iacere docet, post extruit parietes, postremo tectum. Eademq; est ratio cæterarum Artium omnium, & ex ipso omnia inueniuntur, possuntq; per ipsum reddi causæ, cur quodquè fiat, & cur talis sit tota materia, & quam ob rem hoc modo, atquè non alio quæquè pars, sit construenda. Et hæ omnes ex Fine ipso sunt assumptæ nec ratio vlla in his explicari valet, nisi Finis positus sit. Ob hanc causam scribit Aristoteles, rationes istas esse tantùm ea re necessarias; quia pertinent ad Fines. Nanquè si positus sit finis stat, aut constat ratio, eo ablato, ipsa tota corruit, & Ars omninò tollitur. Nec enim ob aliam causam, ex hac atquè illa materia, non autem ex

alia

alia est ex ædificanda Domus, nisi vt ipsa apta sit ad conseruationem Rerum. Ex quo is finis imponit necessitatem alijs omnibus, quæ ob ipsum paratur. & ità etiam alias Artes esse, affirmandum est. Idq; cum iam notum factum sit, intelligi etiam ex hoc potest in tradenda ratione cuiusquè ipsarum, hunc ordinem adhibendum esse, quo videmus has duas Methodos inter se se in quaquè Arte coniungi. Nanquè in primis Via Analytica sunt reperienda ea omnia, quæ faciunt ad ipsum Finē, & isthæc simplici oratione explanari, & quasi antè oculos exponi debent. Postmodum de his singulis, argumentandi Doctrina, quæ est Methodus componendi, differere oportet. Exemplo aliquo noto ista dilucida quoquomodo fiant, post accuratiori inquisitione de his disputabimus. Proponat sibi aliquis, tradendam rationem exædificandæ Domus. in primis materia ex qua extrui debet, est ipsi describenda, hoc pacto. si ædificari habet Domus, opus est conquirere Lapides, Calcem, Aquam, & Ligna, & Clauos, & alia sigilatim omnia colligi debent, atquè constitui ante oculos. deinde his ità expositis, de singulis particulatim est disputandum, nec aliquid

prætermitti debet, atque docendum cur quodq; necessarium ad id sit, nec temere istud tractari habet; sed ex ordine omnia disponenda sunt, & initium docendi ab eo est sumendum, quod primum principium operi extruendo dat. & istud est postremum illud, quod Via Analytica repertum fuit, nam ex notione Finis inuentum erat Fundamenta esse iacienda, hæc extrui non possunt, absque Lapidibus, igitur in primis tradenda est causa, cur Lapides, aut quid aliud tale, necessarij sint, ad Domum construendam, deinde singula ex ordine percurrere oportet, donec ad Finem & extremum Operis peruentum sit, & semper illa causa est referenda, quæ ad finem faciat, nec alia vlla valet. Et hæc norma explanandi, transferri ad singulas Artes explicadas debet; nanq; ita fit, vt tota res dilucide tradatur, nec aliquid prætermittitur, quod necessarium ad opus sit, & causa cuiusq; aperte cognoscitur, nec vlla pars confuse tradita apparet. Nanque per multum interest ad perspicuam declarationem Rei, vt vno loco, & primo ostendamus, Rem esse, & post causas afferamus, cur ipsa sit, nec enim ista confundi recte inter se se possunt, stultitiamq; esset, reddere

dere causam alicuius, nisi prius notum quis haberet, ipsum esse. Itaque primum inuenienda Res & materia est, Metho do illa, quæ propriè ad id valet, deindè alia. Methodo illa tota materia diligenter explanari habet. Hanc rationem, Auicenna adhibuit ad Medicinam declarandam, & eam totam perfectè (quod ad istud attinet) explicauit; nam cum ab initio notum fecisset, sibi propositum esse scribere de Arte, vel de Scientia, quæ est custos sanitatis Corporis, aut instauratrix eius & ægrotationem, ab ipso etiam, quantum effici potest, depellit, euoluens diligenter notiones huius Finis, quem in Animo impressum habebat, ex istis inuenit ea omnia, quæ necessaria erant ad ipsum assequendum: & ipsa exposita, ante oculos nostros constituit, istudq; efficit Via Analytica, post Methodo componendi causas tradit, atque ità totam Medicinam complectitur. Nec difficile factum est, singula ista exequi; etenim inquiratur à nobis docendi gratia, qua ratione, vel qua scientia instructus Auicenna, ita de Medicina disseruit. In primis cogitanti illi de Fine, quem propositum habebat, se se ostendit ipsi Ars, vel Scientia sanitatis instaurandæ, atque

ex notione horum nominum, reperit esse perquirendas causas materiales, in quibus inest sanitas, & ea quibus ipsa effici debet, et alias causas omnes tùm adiuuantes ad id, tùm etiã conseruantes ipsam sanitatem Corporis (neque enim aut Ars, aut Scientia aliter tradi valet) post ex notione huius, quod instaurandum, & efficiendum a nobis est, inuenit quænam, & quales hæ propriè sint, atquè alia nomina omnia accurate secum examinans, & inuolutas in eis notiones in apertum proferens, ab his ipsi suppeditata fuit materia omnis, necessaria ad id, quod quærebat. vnde Homo acutus, et exercitatus in his perquirendis, vidit omnia quæ ad id faciebant, ductus hac via, & ea primum subiecit ante aspectum nostrum, & egregiè instructus, in demonstrandi Methodo de singulis Componendi ratione, post disputat. nouerat q; ipse doctus in Philosophia, & benè eruditus in Logicis, notiones nominum, quibus explanatur Res, quæ declaranda suscipitur, vel quæ explicant finem nobis propositum, in quaquè re esse prænotiones veras, quas studiosè cognitas quisquè habere debet, antequam aliquid de Re ipsa doceat; quoniam hæ dant nobis totam materiam

teriam rerum, quæ eſt tractanda. Et dementia eſt, aliquid explanandum aggredi, niſi prius hæc percepta Mente, & comprehenſa ſit. Etenim ſi ſit profcrenda Ars, quæ inſtauret infirmam Corporis valetudinemn, on poteſt id rectè effici, niſi inuentum ſit quid ſit hæc valetudo, quæ innouari debet, & in qua rè conſiſtat, & quæ ipſam inſtaurent; aut efficiant. Et deniquè Animo tenenda eſt tota materia, quæ ad iſtud præſtandum opus eſt. & iſta ſunt verè prænotiones, quibus fundatur tota tractatio. Atquè iſta quidem ſatis ſint, ad explanandam formulam, qua Artes Efficientes explanari habent. De alijs pauca quædam attingere, ère erit.

CAPVT V.

¶ De Artibus ijs inquirit, quæ Agentes à Veteribus ſunt nominatæ, & declarat, naturam ipſarum conſtare ex his duabus Methodis. profertq; rationes aliquot, quæ hanc rem planè dilucidam reddunt. deindè demõſtrat actiones omnes, quæ in hac communi vita à nobis fiunt, omninò etiam his duabus Methodis cõtineri, & de hac re diſputat.

IN primo Libro, nonnulla à nobis narrata ſunt, de ſententia Veterum, quæ declarant ex generibus Artium, aliud

liud esse quod Efficiens appellatur, aliud verò Agens. Atquè de Efficienti, ea iam exposuimus in superiori Capite, quæ ad institutam disputationem pertinere existimauimus. Nunc, de ijs narrandum est, quæ Agentes ab ipsis sunt vocatæ, & ea breuiter tagemus, quæ totam rationem ipsarum, nobis antè oculos subijcient. Atquè certè istæ omnes, non aliter ac Efficientes, ex his duabus Methodis, de quibus totus iste Sermo à nobis habetur, omninò sunt conflatæ. Quod quidem non erit difficile cognoscere, si præsertim ea quis omninò teneat, quæ de Efficientibus iam explicata sunt. Neque enim est dissimilis ratio omnium; nanquè sicuti Efficientes, opus quod propositum habent intuentur, & ex illo reperiunt materiam, ex qua id effici debet, & ea inuenta ipsum extruunt componendo; ita hæ eadem ratione, Artes hæ diriguntur. in eo solùm ab illis differunt; quod post actionem, opus quod sensu capiatur, non relinquitur, sed totus Finis ipsarum, in actione situs est, nec potest inueniri, quomodò actio illa geri valeat, nisi notio eius diligenter sit perspecta; hæc enim edit ex se se et profert, quæ necessaria sunt ad ipsam agendam, & declarat

etiam,

etiam, quomodo agi debeat. Atque, nisi adhibeatur tota hæc ratio, quæ ex his duabus Methodis constat, non extat vlla Actio, aut Finis alicuius ex ipsis. Ita euanescunt hæ Artes omnes. In his, numerari possunt, Ars piscandi, Ars aucupandi, & Ars venandi, & aliæ multæ; hæ nanque omnes, habent propositam Actionem quandam, quam vbi egerint, Finem suum assecutæ sunt, & omnia quæ ab ipsis inquiruntur, sunt necessaria ad illam agendam, et propter illam solum perquiruntur, ab quaque ex ipsis. Ars piscandi, tota versatur in capiendis Piscibus. Venandi, in capiendis Feris. Aucupandi, in Volucribus. Itaque, omnes hæ, habent propositam sibi Actionem quandam, quam profitentur, & qui eas exercent, hanc Mente impressam tenent, & ex hac, antequam quid agunt, primum Via Analytica reperiunt omnia quæ opus sunt ad eam agendam. Atque Mente sua, in primis ex istis sic inuentis, totam actionem perficiunt, postmodum ad hanc foras edendam, et re ipsa gerendam, se se dedunt. nec aliter, aliquis ex ipsis in his agendis uersari potest, nisi singula agat, quomodo primum in Animo acta sunt. Ex quo cognoscitur, si recte primo

Mente

Mente ipsa pertractata sit, rectè posse ipsam geri; nisi quod in hac desit : si verò non rectè comprehensa fuerit, semper is, qui eam agit, ab recta actione aberrabit. Intelligitur etiam ex his, quanquè Artem, quæ sit ex numero harum; esse rectam Rationem, qua inueniuntur quæ pertinent ad actionem propositam gerendam, & cognoscitur etiam modus atquè ordo, quo agi rectè debet. Atquè hæc quidem adeò nota ex se ipsis sunt, vt non opus sit isthac Exemplis Rationibusq́; alijs, dilucidiora efficere; si quis enim aliquantulum Artes istas secum Animo suo cogitet, statim ipsi tota ratio hæc, se se offert; nam constat Pisces v. g. capi non posse, nisi primum Mente nostra, totam hanc actionem, quam nobis proponimus comprehendamus. Itaquè primùm ex hac cognoscemus, opus esse ad id agendum Esca, qua ipsi allici possint. ex hac, reperitur etiam nos indigere Hamo. ex hoc Fune. ex Fune inuenitur Virgula. & ità, cum ista cogitatione inuenta sunt, transferimus ad actum omnia, & experimur quid singula valeant, gigniturq́; in nobis perfecta Ratio, per quam res tota geritur, & est Ars ipsa. idq́; fit in quaquè alia. Nec id solùm habet locum in actionibus,

quas, nomine Artium appellamus, sed nihil agi à nobis potest, nisi vtraquè hac Methodo, tota actio nostra dirigatur; nam omnes actiones, quas agunt Homines, ob aliquem Finem ab illis suscipiunt, & Finis est causa, qua excitat ipsos ad eas agendas, & dat quoquè illis materiam necessariam ad eas, & modum, quo agi debent. Quod quidem cùm perspici à quouis facilè valeat, ipse de istis nihil prӕterea hoc in loco dicam, sed ad Scientias explanandas, totum hunc Sermonem transferam, ostendamq́ DEO adiuuante, eas omneis, his duabus Methodis omninò contineri.

CAPVT VI.

¶ Disputat de Sciẽtijs, & ostendit has duas Methodos, in illis tantum inclusas esse, quӕ res adeo incognitas tranctant, vt & principia rerum earum, & tota natura incognita sit: in alijs autem, quӕ principia cognita habent, inquiruntquè solum de natura, quӕ ex his constat, aut ab his est profecta, ait solam Methodum Componendi contineri; quandoquidem hӕc sola, per se Scientiam totam explicare valet, & de his copiosè, & distinctè quӕdam docet.

NON solum autem verum est, quanq́ Scientiam ex his duabus Methodis esse conflatam, sed etiam non est difficile factù, id in quaquè ex il-

li.

lis perſpicere. Nanquè cum Artes omnes, tum etiam Scientiæ, res illas tractant, quæ ſunt confectæ ex cauſis: ſed differunt inter ſe; quòd Artes propoſitum ſibi habent finem, vel rem quandam, quæ nondum extat, ſed illam efficere laborant; ob hanc cauſam opus ipſis eſt (ſicuti iam copiosè expoſitum fuit) vt tùm inueniant ea ex quibus, aut in quibus res illa effici debet, aut illa per quæ ipſam perficere valeant: deinde ad eam efficiendam aggrediantur. Ità fit, vt neceſſariò, vtraquè Methodo, in his vtamur; nam Methodo Analytica, reperiuntur omnia, poſtmodum ex iſtis componitur, perficitur, conflatur res tota. Iſtud idem, contingit nobis in capienda Scientia, rerum earũ quæ à DEO creatæ ſunt, & quibus totus iſte Mundus eſt refertus; iſtæ enim omnes, non ſunt ſimplices, ſed habent in ſe Naturam, quæ conſtat ex multis Cauſis: ad Scientiam autem ipſarum percipiendam, opus eſt illas non aliter percipere, quàm hæc Natura ſit effecta. Vndè primùm in eo laborare oportet, vt Cauſæ iſte omnes inueniantur, deindè, vt perſpiciamus quomodò ex iſtis Eſſentia ipſarum ſit conſtituta. Prima igitur, in his rebus tractandis, nobis occurrit Met

hodus

hodus Analytica, quæ subijcit ante oculos ea, ex quibus constant: post, ex istis ità inuentis, Methodo Componendi totam Naturam ipsarum, distinctè percipimus, nec aliter quàm effecta fuerit. Non est autem dubitandum quin istud ità sit, sicuti nunc à nobis traditur; nanquè Veteres omnes, istud palàm affirmant, & in explananda tota Philosophia, has duas Methodos illis propositas fuisse constat. Atquè Aristoteles, quem nos in his Libris solum fermè sequimur, apertè declarat, se velle applicare ad Res naturales tradendas, has duas Methodos; Nanquè in primo Physices in initio, perspicuè ostendit nulla alia ratioue posse aliquid doceri, de Rebus naturalibus, nisi quis ad normam hanc, omnia quæ de ipsis tradit, diligenter dirigat. Atquè illa ratione se ad id agendũ adduci demonstrat, quòd ipsarum Scientia, aliter capi non valet; inquit enim, ità esse omnes Methodos, quæ tractant Res factas ex Causis, vt cognitionem earum Rcrum, nullam afferre valeant, nisi primùm ponant causas ipsas, vel principia illarum, & doceant quæ & quales sint: deinde his expositis, totam naturam causarum declarent ex his esse perfectam.

Et ob

Et ob eam, rem ipse constituit eo in loco, primùm inuestigare de Initijs, ex quibus est perfecta Essentia Rerum naturalium, & notum facit, Methodum illam per quam imus à Notis ad Ignota, esse applicandam ad id efficiendum, nec aliã viam quidquã posse prodesse ad istud: Hæc autem est Methodus Analytica, quæ habet id munus (sicut iam, non semel atquè iterum, sed sæpe, atquè sæpe, in his Libris est ostensum) vt à postremis Rei, proficiscatur ad prima. Atquè ità, ipse hanc tanquam Magistram eo in loco sibiproponens, inquirit diligenter de Initijs primis, & Causis, quæ insitæ sunt in Rebus naturalibus, & has inuenit. Atquè hoc modo, iactis fundamentis vniuersæ Scientiæ Rerum naturalium, facilè factũ fuit, eam in alijs Libris egregiè complecti, & Metho do Componendi, totam explanatam nobis relinquere. Quare pro certo affirmandum est, omnem Scientiam quæ traditur de Rebus, quæ Sensibus à nobis percipiuntur, his duabus Methodis omninò niti, non aliter, quàm quæquè Ars, ex his sit constituta. Est tamen intelligendum, non nihil differre inter Artes, & Scientias. nam Artes, necessariò has duas Metho-

dos

dos proferunt, & necessario vtrisq; vtuntur; etenim res nouas fingunt, nec possunt opus aut perficere, aut omnino inchoare, nisi inuenta sint Initia, quæ ad illa pertinent: secus autem in Scientijs esse apparet. Nanque est videre aliquas Scientias sumere sibi tractandas res, quarum Principia aut sunt nota per se nobis, Sensibus ipsis, aut sunt iam exposita in alijs Scientijs, atque ita hæ tantum adhibent ad has res declarandas Methodum Componendi; hæc enim sola, illis omnem rerum Naturam, quam inquirunt, notam facit. Tales sunt Scientiæ Mathematicæ, quæ solam hanc Methodum afferunt, ad res ipsas, quas suscipiunt; nec laborant in inueniendis, aut inquirendis Principijs illarum rerum, quibus fundant omnem explanationem suam. Atque ita certum quisq; sciat has duas Methodos esse diffusas per omnes Scientias, exceptis illis, quæ non ponunt aliquid laboris in perscrutandis suis principijs. Nanque Methodus Componendi ipsis per se suppeditat id quod sibi proponunt, idest cognitionem rerum, & hanc afferre possunt, aut applicare ad res ipsas, cum Principia iam ante cognita habeant: est enim Methodus hæc Componendi eadem fer-

me, quæ & Methodus Demonstrandi, atque sic fit, vt per hanc Scientiam, quam propositam habent, sibi comparare valeant. Atque id cum iam ità explicatum à me sit, vt facilè à quouis percipi valeat; nihil præterea de tota hac re scribam: sed ad alia veniam quæ ab his duabus Methodis in vitam nostram afferri supra à me tactum fuit. Et his traditis, finem scribendi aliquid aliud de his faciam.

CAPVT VII.

¶ Ait solam Sapientiam esse ab Hominibus in hac vita expetendam, & pessimè cum ijs agi, qui vitæ suæ actiones ad hanc non dirigunt. Post ostendit Via Analytica posse reperiri præstantissimam quandam Naturam, & admirabili Sapientia præditam esse extra cœlos. Declarat etiam auxilio huius Viæ, hanc Naturam omnia, quæ supra, & infra sunt, ab initio tùm creasse, tùm ea ità ordinasse, vt hoc totum Vniuersum sit ex his constructum; & omnes partes eius libenter, & constanter in suo statu maneant, nec de illo declinare aliquo pacto, aut velint, aut optent.

HAEC quoque Ratio quæ has duas Methodos complectitur, tantam vim habet, vt ipsa fermè per se sola Animos nostros ad veram Sapientiam assequendam instruere valeat. Quod quidem quanti sit æstimandum, non est quod longa oratione istud declarare adnitar; nanque hæc à me illis scripta

scripta sunt qui se se in vera Philosophiæ, ac Sapientiæ studijs exercent, nec vllam aliam mercedem laborum suorum exoptant, quàm vt hanc gustare sensu aliquo possint. Etenim certum habeant eos, qui in tota Vita sua ad hanc non spectant, illam viuendi Rationem esse ingressos, quæ & tenebras Mentis ipsis affert, & miserias, æternasq́ pœnas ad extremum eis pariet: Hanc reperire Via Analytica, vel reditu à postremis ad prima licet; is enim ad quanque rem occultissimam, gradum nobis facit. Atquè si postmodum, quæ hac via inuenta sunt, Componendi Doctrina quis tractare velit, incredibile est, qua cognitione, quibusq́ bonis Mens illius exundet, si modo diligentiam, animiq́ integritatem ad hanc rem perficiendam adhibeat. Hæc (vt in pauca omnia conferam) tùm in tota hac rerum vniuersitate, tùm præcipuè supra Cœlos esse, cernitur, Bonitatisq́, ac Charitatis domicilia apud ipsam collocata esse perspicimus, reditusq́ iste ibi Sedem suam ab ipsa constitutam esse, certissimè ostendit; quod quidem non est difficile cognoscere. Primum itaquè si quis diligenter inuestiganda sumat ista omnia, quæ sensibus percipiuntur, & sub

Lunam sunt, secumq; Animo suo cötempletur, quis & qualis sit status horum omnium, reperiet ipsa per se esse fragilia, & semen quoddam in se continere, quod occasum semper ipsis machinatur. Isq; idem inueniet aliud quiddam illis esse datum, a quo Vita, Salusq; omnium pendet; quo quidem cum priuata sunt in interitum statim cadunt. Nec erit etiam magnus labor hac eadem Via reperire id, quo sustinetur Salus horum non esse ex Natura harum rerum, quæ sunt infra, sed ex alia quadam longe præstantiori, atque denique ex Cælis proficisci. Vnde repertum quoque est, beneficio huius Viæ, cœlestes Orbes totum hunc statum rerum, quæ subter sunt, incolumen conseruare, hancq; vim non à se ipsis habere, sed ab alio sibi esse traditam; nam quodq; ex ipsis munus aliquod exequitur, quod est sibi proprium, nec ab alio id geri valet; omnesq; admirabiliter inter se se consentiunt ad hunc statum rerum conseruandum: vicissitudines enim Dierum, ac Noctium afferunt, quatuorq; Tempora Anni, & alia multa in hanc rem conferunt, ex quibus inuenitur aliud quiddam existere, quod ipsos ita disposuit, ordinauitq;, ac tales effecit, vt nihil

hil potius habeant, quam vt ipsi pareant, et voluntati eius semper obtemperent. Reperiturq. hoc eodem reditu, istud non versari inter Cælos, nec actionem vllam agere, quæ sit, similis alicui ex illis, quæ ab eis sunt editæ, sed in multo altiorem gradum istud ascendisse, & extra Cælos alicubi, nescio vbi, celsißimam suam Sedem sibi posuisse, atque ibi solo nutu omnia regere, & gubernare, solaq. Sapientia isthæc omnia ab illo talia esse perfecta, qualia se se Sensibus nostris partim subÿciunt, partim Mens nostra ipsa percipit. Nanquè solertißimo Artificio ea cōstructa esse perspicimus, et Mens nostra, qua industria quæquè pars harum sit effecta, semper assequi conatur. Ex quo Sapientiam illam quæ Ingenÿs nostris capi non potest, propè ipsum non esse, non est dubitandum; affirmandum etiam erit, Bonitatis Numen ipsum circunstare; quam enim aliam rem existimare licet, ipsum adducere potuisse, vt ista existere, appareq. vellet, nisi solam Bonitatem? quid enim causæ afferri potest, cur hunc statum rerum creauerit, nisi quoniam Natura eius quæ Bonitate constat, non est passa diuitias, quibus redundat, in se solum inclusas latere?

sed ad id ipsum impulit, vt quam pluribus ipsas distributas esse voluerit. Itaque hæc duo Bonitatis videlicet, Sapientiaq; Lumina in Natura ipsius se se maximè ostentant, atque efferunt, viaq; hæc Analytica per gradus harum rerum ascendens, atque extra Cœlos progressa reperit ista omnia sic esse, atque declarat, re ipsa non posse illa aliter se habere: eo etiam sua diligentia hæc penetrat, vt oculis ipsis perspiciat cum Cœlos, tum quæ illis capiuntur; atque denique totam hanc vniuersitatem rerum esse ita extructam, atque ordinatam, vt omnes eius partes suum statum retineant, nec ex illo dimoueri velint; munusq; illud obeant, quod à DEO ipsis est impositum, illius numen semper colunt, & quantum possunt in perpetuum ei parent, atque obtemperant.

CAPVT. VIII.

¶ Componendi Doctrina de ijs disserit quæ beneficio Viæ Analyticæ inueniri posse ostendit: Vnde rationes quasdam benè firmas affert, quibus demonstrat potentissimam Sapientissimamq; Naturam extra Cœlos habitare. Aliasq; item rationes explicat, per quas declaratur cùm Cœlos tùm id Vniuersum ab ipsa esse perfectum. Ac postremò coniectura quadam, quam capit ab ex monumentis Aristotelis notum fit, cur ista non viderit Aristoteles, & cur

sibi persuaserit se sapientius de his sentire, quàm Veteres, qui, & quod verum in his est perpexerunt, & id posteritati traditum diligenter reliquerunt.

NVNC verò audiamus quid afferat eius socia, atque adiutrix Componendi Doctrina. Certè id ipsa sumit, vt quæ inuenta iam sunt rationibus magis firmet, atque stabiliat. Itaquè inuentum est Sapientiam cum vbiquè in omni hac rerum Natura tum maximè extra Cœlos Sedem suam habere, & omnia, quæ sunt, tum perfecisse, tum ordinasse, et eius Numini vsquè adeò ipsa obedientia esse, vt statum suum libenter retineant, atquè ab eò discedere nullo modo velint. Nec verò aliquis dubitet hæc omnia sic esse, vt & narratum, & inuentum est: nihil enim voce alicuius proferri valet, quod tam verum sit, quàm sapientissimam quandam, incorruptissimamq; Naturam, Sedem suam supra Cœlos sibi collocasse. Nãque Ratio cum Re consentiens istud ita se se habere omninò conuincit. Quod enim vi sua creat alia, id gradum celsissimum inter ipsa tenere debet, multoq; magis id illi conuenit, si & Imperio suo ipsa regat, & Salutem, atque Incolumitatem illis assiduè tribuat, quæ omnia in hac incorruptissi-

ma Natura inesse, tum re ipsa, auxilioq. Vi. Analyticæ tam perspectum est, tum ratio quoquè istud docet. Nanquè constat Cœlos multos esse, constat etiam quodq. ipsorum actionem aliquam sibi propriam agere; etenim apparet alios ex ipsis alias conuersiones efficere, et alios alia munera exequi, atquè quodq. ipsorum esse distinctum ab altero; quæ omnia, si vera sunt, sicuti esse re, & facto perspici potest, certe confitendū est Cœlos esse extructos à DEO. Nam quod habet munus vnum, aut plura sibi insita à Natura, & in his sese exercet, istud absq. dubio est factum ab alio, & ob eum finem, vt illa munera obiret; quomodo enim cogitatione, aut Animo vllus sibi cōfigere potest aliquid tale existere, quod ab alio non sit fictum? certe id intelligi Mente non valet; nulla enim ratio aut vera, aut firma ab vllo reddi poterit, cur in illis versetur, nisi ad illa præstanda natum, & factum sit, idq. ab alio; nam si quis Mente sua istud introspiciat, cognoscet quidquid tale est, necesse esse, vt antequam fuisset æditum aliquo modo existeret. Etenim actiones quasdam certas, definitasq. habet, atquè non alias, & item Naturam aptam ad illas ædendas; non autem

id

ad aliam; quoniam hæc omnia Mente alicuius prius comprehensa fuerunt, deliberatumq; fuit, illud tale efficere, ac non aliter, & re ipsa tale fuit, effectum. Ex quo antequam facto ipso istud apparuit, Mente alicuius fuit conceptum, & formatum, nec est quod aliquis contra istud nimis pugnax sit; quoniã id ità verum est, vt aliter esse non posit. Idq; cum sic omninò sit, certè pro verò illud ponendum est, quod ex hoc necessariò efficitur; vt videlicet tota Natura huius prius præcepta ab alio sit, & perinde ac fuit comprehensa, sit etiam formata ac facta. Itaque nullo modo affirmandum erit istud, aut a seipso, aut alia quadam ratione ab immenso Tempore existere posse, sed solum ab alio esse effectum. Quod etiam tantò magis de Cœlis, atque denique de hoc toto statu rerum existimari debet, quantò plures sunt Cœli, & mirabiliter inter se se apti, atque connexi: nàm si cognosci tur, ex ratione allata, vnam quadam Naturam quæ obeat munus priuatum, necessariò pendere ab alia, & ab ipsa esse creatam; certè hæc eadem ratio nobis multò magis notum reddet, effici non posse, vt tot, ac tam varij Cœli, ex quibus id Vniuersum est actum, per se ipsos

exorti

exorti sint; sed ponendum erit, aliam quandam vim, quæ omnium potentissima est, ipsos, ab initio effecisse. Quod etiam ex ea re magis perspicuè verum esse iudicabitur; quia omnes hi Cæli sunt partes huius Vniuersitatis, & omnes consentiunt ad eam conseruandam; itaque vt ob hunc finem creati fuerint, necesse est. Quod si quis hoc loco contendat, ista omnia non verè à nobis disputari, dicatq; de hac re tota aliter iudicandum esse; quoniam tum Aristoteles, tum Veteres alij, qui subtilius isthæc oĩa tractarũt, quàm ego efficere possim, affirmant Res ipsas, & Motum earum ab infinito Tempore constare, atque à nullo Principio Motum in rebus insitum fuisse: is primum quidem, pro ea beneuolentiæ charitate, quam priuatim erga illos habeo, qui mihi horum studiorum cognatione coniuncti sunt, à me est admonendus vt caueat ne temere de hac re iudicium faciat; secumque ipse diligenter Animo suo rationes prius consideret, quibus tum hæc opinio quam ipse hic profero, tum altera, de qua illi multa disserunt, nitatur; deinde, vt patienter, ac beneuolè pauca ista legat, quæ nunc ipse scribo, atque sic fieri solere sibi omnino persuadeat, vt

qui

qui se sapientes, & esse, & haberi volunt, hi longissime sæpe ab hac segregati sint: Etenim nulla res est, quæ aliquem nostrum tum à veræ Sapientiæ studio disiungere valeat, quàm si quis ob eum finem ad eam se se dedat, vt hoc facto Nomen, æternamq; Gloriam sibi pariat. Quod Aristoteli contigisse, ex scriptis eius (nisi quid me fortè fallit) videre licet; nanque vbiq; in his occurrunt Loci, qui eruditè, ac sapienter ab alijs explanati fuerunt: quos tamen ipse, & oppugnare, & quibus rationibus potest, euertere non veretur. Quæ res, satis signi nobis dat, multa ab eo litteris mandata esse; vt aliorum Nomen frangere, suum autem augere posset. Nec verò ista nunc attingo; vt aliquam inuidiã per me illi comparatam, aut Doctrinæ illius aliquid detractum esse velim. Longissimè ab hoc absum; nam magnum Ingenij Lumen, sibi datum à DEO habuit. Magnum Studium, Magnaq; optimarum Artium Exercitatio in ipso fuit. Multa Adiumenta, per eum ad omnia Disciplinarũ genera, sunt allata, Aditusq; ad ipsa, qui antea multis occlusus erat, est patefactus. cõfiteorq; ego, me, eius Disciplinæ auxilio ornatum, munere DEI

assecutum

assecutum esse, vt ista, qualiacunq; sunt, nunc scribam. Sed cum mihi hoc in loco propositum esset, cuius notum reddere, quænam & qualis sit ipsa Sapientia, non potui facere, quin istiusmodi quædam mentio à me de ipso fieret. Nanquè ex hac quisq; perspicere potest, sic comparatam ipsam esse, vt eos omninò à se respuat, qui Animum suum diligenter præparatum ad illam non transferunt. Itaquè munere DEI, iste quidem hanc vidit, & aliquid de ipsa degustauit, sed ergà illam non fuit Animatus, sicuti ipsum esse oportebat. Etenim honorem eū illi non habuit, qui habēdus ipsi erat. Nanquè magnitudinem Ingenij, Doctrinæq; præstantiam in se ipso agnoscens, confidit se absq; illius auxilio, in ea posse peruadere, quæ admirabiliter ab ea sunt perfecta. Quam arrogantiam à se aspernata Sapientia, ipsum destituit. Nec est mirum, si ei postmodum euenit, vt Mens eius in illa penetrare non potuerit, quæ de potentissima Vi huius, à Veteribus rectè tradita acceperat. Nanquè Vis illa Mentis, cum se se totam, turpi inanitate inflaret, iure merito ad res abiectissimas fuit depressa, quas assiduè intuens, sese reuocare ab his non potuit. Hac

igitur

igitur Mente ipse præditus, multa colligit, quibus putat se ingeniosè (vt opinor) eos confutare, qui Numen DEI, cum Res istas omnes: tum Motum in eis creasse prodiderunt. Sed leuia sunt omnia, ac fermè puerilia, quæ de tota hac Quæstione ipse disputat, nec ego illa digna existimo, quæ ipse litterarum monumentis, posteritati tradere voluerit. Nequè enim ad hanc Veritatem labefactandam, aliquid possunt. Sed istis, de his duabus Methodis sic expositis, nihil amplius de istis dicam, sed de Doctrina Definitiua, quæ vna, de illis tribus quæ nobis ab initio propositæ erant, superest, dequè alijs quibusdam Commentationibus, quæ cum Methodis connexæ sunt, quædam breuiter explanare aggrediar.

CAPVT IX.

¶ Primum ait, Veteribus Laudem esse tribuendam; quòd vias nobis tradiderint, quæ deducunt nos ad Artes, ac Scientias Et gratiam quoquè illis habendam; quòd omnes Exercitationes Ingeniorum persecuti sunt. Post de Doctrina Definitiua, de qua mentio fit, à Galeno, verba facit; & docet, quæ & qualis Doctrina ea sit, atquè quodnam opus efficiat. Exemplisquè propositis, omnem vim eius aperit, & omninò distinctè de illa disputat.

Equidem

EQVIDEM existimo, Veteres illos in magna Laude ponendos esse, qui de Methodis ijs, quæ Artiũ consequendarum viam nobis muniunt, diligenter præcepta dederunt; est enim perfectum ab eis, vt Artes omnes ac Scientias Mente comprehendere, tractare, atque docere rectè possimus; ad quas nullum aditum quisquã nostrum ante perfectè habebat, nec postero tempore habere aliter potuisset. Atque hi non solum in his laborarunt; sed de alijs etiam, siue Meditationibus siue Exercitationibus, aut Commentationibus nos instruxerunt, quæ illa omnia, quæ ad Artes pertinent, & illis duabus Methodis iam tradita, ac percepta sunt, in Animis nostris, atque adeò in Memoria ipsa collocare, defigereq; possent. De his in hoc Quinto Libro, quædam breuiter disputare in Animo habeo; sunt enim adiunctæ ad Methodos explanatas, & ob eam causam a Veteribus fuerunt inuentæ vt Fructus omniũ Methodorum, facilliùs capere liceret. In numero harũ est, tum illa quam Galenus nominat, Doctrinam Definiendi, tum alia, quæ breues, & selectas sententias iam expositas refert in commentarios, quæ ab Hippo-

Hippocrate, studiose concelebrata fuit. Nam Libri sunt editi ab eo, qui breuiter complectuntur fermè oĩa, quæ copiose sunt tractata in Medicina, et eos APHORISMOS inscripsit. Perspicuũq; est, istas oẽs Commentationes, in subsidium Memoriæ a Veteribus esse inuẽtas. Quod si aliqua ex his ordine distribuat, ea quæ colligit, Nomen Methodi habere potest: alia vero, quæ nullo ordine Res ipsas narrant, sunt potius numeranda inter Commentarios Rerũ ac Sententiarum, quos sibi quisque fermè studiosorũ conficere solet, ad retinendam Memoriam earũ. Ego itaque, primum de Doctrina illa, quam Galenus appellat Doctrinam Definitiuam, pauca disseram. post alias omnes, quas Veteribus, vsitatas fuisse cognouero, diligenter conquiram & quam breuissimè potero, singulas tantum proponam. Ipse itaque, in eo Libro, qui est inscriptus ARS MEDENDI, refert Doctrinam istam propterea esse vocatam Doctrinam Definitiuam; quoniam tota fundata Definitionibus, nec aliud quiddam profert; nisi Definitiones, quæ declarant Rem propositam & omnia quæ ad ipsum Genus Rei pertinent. Atquè, istud quidem est cognitione dignissimum in his

Methodis

Methodis omnibus, nam quæque ipsarum, nititur Definitione Rei, & ea posita munus suum exequitur. Analytica, proposita sibi Essentia Rei, & notitia eius, id agit, ut per ipsam materiam reperiat, ex qua illa constat. Componendi vel Demonstrandi Methodus, stabilita Definitione Rei, argumentationes format, quibus exponit causas eorum, quæ in natura Rei apparent Hac item Doctrina, Definitionem quãdã generalem primò ponit, quæ complexu suo, amplectitur totam naturam Rei. & ita, ordine descendit ad alia, quæ in tota Scientia explanantur, Definitionesq; suas ad omnia accommodat, nec aliquid prætermittit. Cognosciturq; ex hoc, verissimum esse, quod Plato, Galenus, & Cicero, tradiderunt. Idest omnem Disputationem, quæ suscipitur de aliqua Re, à Definitione prosisci debere. Estque imprudentis aliter facere; nam Disputationes omnes, quæ verè hoc Nomine dignæ sunt, Methodo aliqua diriguntur, Methodusq; omnis, nullam vim ad aliquid, habet nisi Definitione se ad id muniat. Itaquè Definitio in quaquè illarum est summè necessaria. Hæc igitur Doctrina, tota constat ex Definitionibus poteftque nominari

Metho-

Methodus; quoniam Ordine disponit, ea quæ Definitionibus explicat. differtq́ à Methodo illa Definiendi, de qua disputarum est ab Aristotele, Libro VII. Sapientiæ, nam illa, est ratio *quædam vel* habitus *per quem aliquis Definitionem Rei, quæ sibi est proposita, rectè afferrè potest. Hæc autem est Doctrina, quæ explanat definitionem alicuius Artis, aut Scientiæ, & solum in hac re laborat, ut partes omnes Definitionis, quæ ad ipsam Artem, aut Scientiam conuentant, diligenter explicata sint, definiendo, nec aliquid sit omissum, quod ad illam pertinere possit. Atquè hæc docendi ratio, apud Veteres et nota erat & ab his adhibebatur, ad Artes, ac scientias explanandas. scribitur enim à Galeno, Medicinam fuisse explanatam à plærisq́ ad regulam huius, & ait etiam, esse nominatam ab illis, Explanationem Definitionis, vel Distinctionem eius, diuisionemq́, in partes simplices, et quæ amplius diuidi nō possunt. Atquè his Nominibus, Eruditi illi, et in Scientijs tradendis Esercitati Viri, declarare voluerunt, quod nam opus hæc Doctrina propriè tractet. Etenim suscipit vt ponat ante oculos, quæcunquè explanata sunt in aliqua Arte, ac Sciē*

tia: idest vt afferat Definitiones omnium, donec ad eam peruentum sit, quæ sunt postrema Genera, infrà quæ solùm inueniuntur Res singulares, quæ non possunt Definitionibus vllis explicari. Est enim Definitiua, idest Doctrina, quæ solùm affert Definitiones, nec vllum Argumentandi Genus profert, vllamq; explanationem adhibet ad res, nisi solas Definitiones. Constituit autem sibi fermè pro initio quodam, aut pro materia, quam solam explanet, Definitionem generalem Artis, aut Scientiæ, & omnia quæ ipsa sunt comprehensa, persequitur diligenter definiendo, donec ipsi occurrant Res particulares, quæ in Definitionem cadere non possunt. Nanquè hac diligentia illud assequimur, ut nihil à nobis omissum sit, quod in Scientia aut Arte contineri valeat; nam Definitio generalis Scientiæ, omnia complectitur, quæ ab ipsa tractari valent; quoniam genus rei, in quo illa versatur, exponit: non potest autem aliquid rectè doceri in aliqua Scientia, quod inclusum in Genere eius non sit. Vndè, si accuratè partes singulæ Definitionis explanatæ sint, patet nihil posse relinqui quod ad Scientiam pertineat. Intelligitur etiam ex istis,

hanc Doctrinam, nullam aliam cognitionem nobis dare, nisi eam, quæ accipitur ex Definitione; hæc autem explicat solum quid Res aliqua sit. Sed ista cognitio, potius habenda est pro initio quodam Scientiæ quàm pro ipsa Sciẽtia. Vndè percipi potest, verum esse, quod à Veteribus de ea traditum nobis est: hoc est, hanc Doctrinam, solùm breuiter colligere Capita, & Initia eorum, quæ copiosè, & difusè sunt explanata in Scientia, & ea subijcere nobis ante oculos, vt Memoriæ ipsa tradere valeamus. Cum autem hæc Doctrina, Definitiones solùm afferat, constat ipsam non posse per se illas inuenire, sed illi opus est aliqua Methodo, quæ materiam ei subministret, ex qua ipsas conficiat: se se autem in hac re, tanquam famulam ipsi prebet, Methodus diuidendi. Etenim cum sibi ab initio statuat, Definitionem generalem, quà tractet, & diligenter explanet, necesse est, vt diuidendo ad ea descendat, quæ infra genus sunt, & hoc modo illa reperiat, quæ continentur ipsa Definitione, & in tota Scientia aut Arte explanari solent. Facileque hoc pacto Definitiones formari possunt, & definiendo omnia explananantur. Sed rei patefaciendæ

causa, vnum aut alterum Exemplum, à nobis est apponendum. Sit propositum nobis declarare hac Doctrinâ, quæ ad Logicam pertinent, Definitio eius, antè omnia est proferenda. Ipsa est Habitus, qui docet rectam rationem disserendi, de quaquè re omnis recta ratio disserendi, fundatur prænotione aliqua rei. prænotio, est res quædam, ante Mente ipsa comprehensa, quàm res ignota sit declarata hæc, vel est propositio vel pars. eius propositio, est oratio, quæ explicat vnum de vno. pars eius, est vel Subiectum, vel Prædicatum. Prædicatum, est quod de Subiecto dicitur. Subiectum, est id in quo inest Prædicatum. Atquè ità, ex his perspicitur, à via diuidendi, semper nobis subministratam esse materiam, quam in Definitiones includimus. Quod etiam cognosci potest, si alia persequi libeat. Omnis ratio differendi; vel sumitur ex ijs, quæ per se sunt insita in natura Rei, vel ex illis, quæ non sunt insita in ea, sed quoquo pacto ipsam attingunt. hæc Diuisio, subijcit nobis materiam Definitionum, quæ pertinent ad Demonstrationem & ad Argumentationem vel Syllogismum. Nanquè Sylogismus, est ratio quæ constat ex ijs, quæ rem cõsequuntur,

tur, vel aliter illi inherent: Demonstratio verò est ratio sumpta ab illis, quæ in herent in essentia Rei. atquè hoc itinere idest diuidendo atquè definiendo, licèt ad omnia prosisci, quæ in Logicis sunt tradita; Genera.n. Argumentationum omnium, hoc pacto perquiri possunt, & distinctè doceri. Partes etiam ipsarum, hac ratione notæ fiunt, nec aliqua relinquitur, de qua non sciatur. Atquè ita ex his, quæ nunc exposuimus, cognosci potest, non esse magni laboris tractationem huius perdiscere & ad quãquè Scientiam ipsam adiungere. etenim hæc Doctrina via diuidendi iter ad omnia facit, & singula definit. Vnde si quis, quæ de ea scripta sunt sibi proponat, opus quod ab ea tractatur, diligenter intelliget, & efficiet, nec ab eo aberrare poterit. Atquè notum quidem est apud omnes studiosos Medicinæ, Galenum totam Artem Medendi ad normam huius Doctrinæ diligenter esse complexum, potestq́ quisquè ea quæ apud ipsum perscripta sunt, per se ipsum cognoscere Quo autem facilius, ab vno quoquè illa comprehendi Mente valeant, libitum mihi est rem eandem hoc modo ante conspectum ponere. Medicina est Ars, quæ Victu, et Medicamen-

tis, Morbos depellit à Corporibus Hominum, infirmam ipsorum Valetudinem instaurat, & bonam conseruat. Hac Definitione ità constituta, singulæ eius partes accuratè inspici debēt, & quæ distinctionem postulant, sunt distinguendæ. & ad quanquè partem separatim, sua Definitio est accommodanda. Primùm Victus Definitio proferri debet: Victus est ratio viuendi, sine qua, bona Valetudo Corporis constare non potest: hæc autem continetur Aere, Cibo, & Potu, Somno & Vigiliis, Motu, & Quiete, atquè Animi perturbationibus. & hæc omnia exponi habent, suis Definitionibus. Estquè perspicuum, esse cauendum, ne Definitiones Partium, excedant è Definitione generali. Etenim declaratio huius suscipitur tantum. Quòd si ex illa excederent, aut alia complecterentur quæ sunt extra ipsam, esset res tota obscurata, non autem patefacta. Itaquè si explanatur quid sit Aer, quid Cibus, quid Somnus, tota explanatio horum, referenda est ad Morbos depellendos, ad instaurandam Valetudinem, & ad alia. Nec aliquid in se debet contenere, quod ad res istas perficiendas non adiuuet. Sed cum ista à me sic exposita sint, finis huic expla-

nationi

nationi est imponendus; nam, qui studiosè ea peruoluent, quæ hic scripta sunt, sentient se satis firmo præsidio instructos esse, ad efficienda opera illa, quæ præclara, hæc Doctrina, tractare solet. Et quo, cum iam fructum eum, quisquè ex his ferre possit, quem mihi in his tradendis proposueram: laxabo me à contentione huius explanationis, & DEVM præcabor, sicuti mihi eius munere, ista oblata dataq; fuerunt, quæ de hac Doctrina dixi, itá quoquè Mentem meam ad illam quæ mihi reliqua sunt diligenter perscribenda, suo Auxilio muniat atquè ornet.

FRANCISCI TERRILII
DE METHODO SCIENTIARVM, ATQVE ARTIVM,
LIBER QVINTVS.
CAPVT I.

ARGVMENTVM.

¶ Declarat in hoc Libro, propositum esse de Prænotionibus disputare, & in primis explanat quid istud nomen significet, post distinctionem Prænotionum affert.

CVM ex ijs, quæ in superioribus Libris explicata sunt à nobis cognosci possit duas tantum esse Formas, aut Methodos docendi, & quanquè illarum continere in se Prænotionem aliquam, in qua ipsa Methodus fundat totam suam explicationem, & à qua tota ratio eius pendet: quærendum, nunc est de his Prænotionibus, quid quæquè ipsarum sit, & qua Via reperiri valeat. In primis autem differemus de ijs, quæ sumuntur ex Principijs Rerum, et pertinent ad ipsas Demonstrationes. Post de alijs disputandum erit: sed prius de Voce ipsa explicare

care oportet, videndumq́; quid vox hæc Prænotio significet, & quid denique ipsa sit. Intelligimus hac Voce declarario Notionē aliquam, ideſt Cognitionem, quæ sit percepta antè aliam, poteſtque iſtud referri, vel ad Res omnes vel ad aliquas tantùm, ità quod hæc ſit Cognitio quædam, quæ percipiatur ante Cognitiones rerum omnium, vel antè aliquas tantùm; & vtrumq́; deſignatur hoc Nomine, quod facilè perſpicitur ex loco illo primi Libri de Demonſtratione, qui ſuppeditauit nobis materiam eorum omnium, quæ hic explanamus. Nam ſi omnis Doctrina, & omnis Diſciplina quæ Ratione conſtat, gignitur Prænotione, ergo Prænotio eſt comprehenſa ante omnes Doctrinas, & Diſciplinas, ex quo ipſa percipietur ante Res omnes, quæ Doctrina aliqua, aut Diſciplina declarantur, aut inueniuntur. Itaquè iſtud nomen declarabit eas rerum Cognitiones, quas abſquè Doctrina perceptas habemus, nec à Doctore aliquo ipſas accipimus, ſed per nos eas comprehendimus, antequam ſimus traditi magiſtris, & hæ latinè nominatæ ſunt Communes Animi Notiones; quoniam quiſq́; modo ſanus ſit, eas tenet, et Græci appellant eas Axiomata, quod

quod digna sint, quæ ab omnibus probentur. Hæc continēt in seipsis ea, quæ pertinent ad oēs res, vel quæ de omnibus rebus dicuntur, et ob id omnibus sunt cognita; & necesseest à quouis ea percipi, nec aliquis, quod Ratione discere, aut intelligere valet, qui non habeat, ipsa prius explorata: nam quia conuenit cuiq; rei, quod ipsa sit, aut non sit, & quod sit vna, aut non sit vna, ob hoc quisq; per se intelligit verè de quaque re dici ipsam esse, aut non esse, & esse vnam, aut non esse vnam. Nec id aliqua ratione cognoscitur, sed à mente percipitur, quæ istud per se absq; vlla dubitatione perspicit; & sunt isthæc ita perspicua, quod etiam si quis velit ea non probare, tamen id facere non possit; quoniam nihil ei occurrere valet, quod illa aliquo modo dubia faciat. Itaquè quantumuis aliquis verbis, aut nutui significet sibi ista non ita videri, tamen Mens eius, eo etiā recusante, ipsa semper perspiciet, & pro veris habebit. Qua de causa rectè ab Aristotele de his dicitur, necesse esse hæc vera esse, & necessarium etiam esse ea ita videri omnibus; apparet etiam ex loco illo primi Libri de Demenstratione, quem modo protulimus, ipsa necessaria esse ad quā-

què

què Doctrinam, & Disciplinam percipiendam; nam omnis Doctrina, & si omnis Disciplina fit Prænotione, ergo sine hac effici non potest. Itaquè hæc erit necessaria ad ipsas gignendas, quòd ex eo fit, quia quæquè Doctrina, ea tantum de re aliqua explanat, quæ proprie ipsi congruunt; hæc autem rectè doceri non possunt, nisi quæ ad omnes res conueniunt, & his Axiomatibus explicantur, prius percepta fuerint; itaquè necessariò sunt vera necessariò, sunt cognita cuiquè, & necessariò antè quanquè Doctrinam, aut Disciplinam sunt comprehensa.

CAPVT II.

¶ Profert rationes, quibus primum demonstrat Prænotiones eas, quas dixit nominari Communès Animi Notiones, neque ingenitas in nobis Natura esse, neque etiam disci Doctrina, postquam nati sumus. Deinde docet has præcipi notitia quadam à sensibus acquisita, quam vocat Prænotionem Naturalem, & copiosè rem istam omninò tractat.

ATQVE cum à quouis necessariò percipiantur, quærendum est, nùm ingenita sint in nobis à Natura, aut fiant nobis cognita, postquam editi sumus in Lucem, cum ea prius ignoraremus;

ac

ac certè valdè mirabile est, horum Habitum insitum esse nobis à Natura. Quandoquidem dum Infantes sumus, non animaduertimus istum in nobis esse, quod non contingit in alijs Scientijs; nam si quis tenet quid demonstratione, is certè nouit se illud cognoscere, istudq; sit in quaquè etiam alia Cognitione: vnde videntur ista omninò inter se pugnare; nequè enim fieri potest, vt horum cognitione Natura comprehensam habeamus, et aliquo Vitæ nostræ Tēpore non sentiamus eas nos habère cum præsertim Habitus horum sit longè excellentior alijs cognitionibus omnibus; sed nec disci etiam à nobis possunt, si omninò ignota sunt; nam omnis Disciplina fit Prænotione aliqua, rei eius, quam discimus; nulla autem Prænotio istis præcedere potest. Itaque intelligitur ex his non posse nos habitum horum Natura Cognitum habere, nequè etiam eum acquirere, vel percipere, si omni ex parte a nobis ignoratur; sed res hæc tota sic est, nanquè Prænotio, qua ista Principia cognoscendi, discimus, est innata in nobis, & naturali quadam Vi eam tenemus: nascimur enim vna cum Sensibus, qui rerum singularum notitias nobis dant, quæ sunt Prænotiones,

tiones, quibus percipimus Principia hæc nobis incognita, & ob id acceptis Prænotionibus his à Sensibus domi per nos ipsos absq; vllo Doctore assequimur Habitum horum Principiorum. Nam quod percipitur, Sensu in aliqua re singulari id permanet in nobis, & gignitur memoria eius rei; atquè si istud aliàs in alia, atquè alia quadam re singulari comprehendatur, eodem modo permanet in nobis, & similiter efficit eiusdem rei alteram, atquè alteram memoriam, quæ ita simul congregata, et aliæ ad alias additæ, rem eandem perfectius ostendunt. Vnde creatur perfectior Cognitio, quæ Experientia est nominata. Cum verò ad istas accesserit eiusdem rei rursus altera, atquè altera obseruatio, quæ per Sensus tanquam per fenestras quasdam in Animum intret, tum pariter in nobis perfecta rei notitia, qua certo scimus istud in quaquè ex illius rebus inesse, & hæc Principium sciendi verè dici potest. Nam quia ita esse in hac, atquè in illa re, et item in alia, atquè alia, Sensus nos docet, ob id Ratio nostra hac Prænotione ducta, quam in nobis & Memoria, & Experientia confirmant. Certè concludit in omnibus ità esse, & ità generalem perfectamq; Cognitio-

Cognitionem acquiremus, quæ est Principium cognoscendi. Atquè si istud, quod primo Sensu exploratum est, sit tale, vt in quaquè re inesse Sensu cognoscamus, nominatur Comunis Animi Notio, quæ est notitia generalis, quam quisq; necessario habet perceptam Prænotione naturali (sicut dictum fuit) antequam de re aliqua quid aliud intelligat. Etenim exempli gratia quorum à nobis comprehensum est, Sensu, id totum esse maius quaquè sua parte, & item istud, atquè istud, & id sæpe atquè sæpe Sensu obseruatum Memoria, etiam & Experientia cognitum habemus: fit ex hoc, vt in quoquè alio, quod sit totum, sic esse, confitendum sit; quod enim euenit in exercitu, qui est in fugam conuersus, vt si vnus consistat, alter etiam consistat, & item alter, atquè alter, post tota phalanx, ad extremum vniuersus exercitus, istud idem in hac rationem cognoscendi euenire cernimus. Nam si in hac atquè illa re quid animaduertatur, Sensu, & item in alia, vt in quaquè alia eiusdem generis re ita fit, necesse fit, perspicimusq; ex his Prænotiones istas naturales, quæ sunt nobis à Sensibus suppeditatæ, esse tenues quasdam, & rudes Cognitiones Rei-

quibus

quibus Natura inchoat in nobis perfectas notitias Principiorum, quas post adhibemus ad quanque rem discendam. Nam cum Sensus cernunt res sibi subiectas agnoscuntur in eis, sed confusè; Naturam generalem, quæ simul cũ particulari est permixta, rectè q; ait Aristoteles moueri quidem Sensus, à re singulari; percipi tamẽ ab eis Naturam vniuersam, cum enim obijcitur, Sensui (exempli gratia) Socrates, mouetur, Sensus à Natura particulari, qua ipse Socrates propriè constat, tamen simul cum hac cognoscit in eo humanitatem; neque enim potest cognosci Socrates, quia Socrates, nisi eum Hominem esse percipiamus. Etenim particularis Natura est sic commixta cum vniuersa; vt sine hac ipsa capi non posit, ità implicatam quandam, & inuolutam Naturæ cõmunis cognitionem Sensus afferunt, quæ post & assidua obseruatione, & adhibita Memoria atquè Experientijs euoluitur ab his Tenebris quibus inuoluta, Sensibus offertur; ac postremò percipitur à Mente nostra simplex, talis, qualis est vera Natura eius separata ab omni Materia; nec quatenus est coniuncta aut Socrati, aut alijs rebus particularibus; sed ipsa

ſa per ſe, ſe. Itaquè affirmat ratio, ſic eſſe uniuerſam Naturam totius, ut contineat in ſe hoc quòd ipſa ſit maior quaquè ſua parte, & ità hac rudi Prænotione, quæ proficiſcitur ex Senſibus, tum inchoatur, in nobis, tum perficitur notitia Principiorum horum, quæ transferuntur ad res omnes.

CAPVT III.

¶ De ijs Prænotionibus hic differit, quas non neceſſe eſt habere comprehenſas ante omne Genus rei; & oſtendit non nullas ex his capi à nobis cognitione à Senſibus acquiſita, Nomina autem harum diſtinctæ explanat. pòſt demõſtrat iſtas Prænotiones neceſſariò eſſe ponendas ante explanationem rei, & oſtendit, cum tractantur res, quarum Prænotiones ſunt ingnotæ iſtas primum eſſe explicandas, idquè faciendum Methodo, quæ ſit diuerſa ab alia Methodo qua res explanantur, & de hac re multa ab illo diſputantur.

IT eædem etiam Prænotiones, ideſt quæ ſumuntur ex Senſibus, nobis nota faciunt alia quædã Genera Principiorum, quæ non præterea attingunt omne Genus rei, ſed aliqua tantum. Verum illud inter hæc intereſt, quòd Prænotiones Principiorum, de quibus locuti ſumus cuiquè notæ, ſunt, nec aliquis, vt dixi, reperiri poteſt, qui eas non teneat; nam ſunt tales, vt

qui viuit, &, Sensibus vtitur his, hæc comprehendit in omnibus rebus sola vi Sensum. Prænotiones autem Principiorum de quibus disserenius, non sic sunt, vt quisquè per se antè quã aliquid discat, eas perceptas habere debeat; cum enim pertineant ad magnã partem rerum, aut ad aliquam tantum, non tamen ad omnes, fieri potest vt quis de is nihil vnquam, Sensibus suis hauserit, atquè ob hanc causam ipsi incognitæ sunt. Sed si Doctor aliquis eas, Sensibus eius subyciat, statim ab eo percipiuntur, & sic exploratis his Prænotionibus, capitur Cognitio Principiorum, inductis rebus singularibus, ex quo fit, vt hæc etiam Principia non necessariò per nos ipsos à nobis discantur: quoniam Prænotiones, quibus ea cognoscimus, non possunt esse in promptu nisi ÿs, qui in rebus illis, ad quas Principia conueniunt versati sunt. Et in hoc differũt à superioribus; consentiunt tamen inter se se omnia, quod vera sunt semper, nec Demonstratione declarari possunt. Igitur quia non necessariò nobis cogni ta sunt, nec Domi, ob id Græci ipsa nominant Theses; quoniam sunt ponenda in Initiÿs Disputationum, atquè Explicationum omnium, an-

tequam de rebus ipsis quidquam disputetur, nos è græco vertimus Positiones, ac licèt istud Nomen latinis Auribus sit in auditum; tamen rei explanandæ gratia in auditis, & inusitatis Nominibus est vtendum, cum præsertim, hic res illæ tractentur, quæ latinis Literis explanatæ nunquã fuerint. Igitur nos ad arbitrium nostrum, tum Theses, tum Positiones hic ea appellauimus. Est ergo Thesis principium cognoscendi siue prænotio, quæ quidem est ità nota, ut demonstratione declarari non possit, tamen quisquè per se eam cognitam habere non debet. Quod ex eo ipsi euenit (sicuti dictum fuit) quia non continet in se aliquid eorum, quæ in omnibus rebus inesse, quisquè Sensibus ipsis quotidiè comprhendit: & cum non sit notũ per se, est ponendum ab initio, antequam aliquid de re ipsa sit expositum demonstratione; vt hac prænotione informatus is, qui discit, alia post facilè probare valeat, quæ ex hac prænotione lucem suam accipient: de re autem quaquè, non potest poni nisi quid ipsa sit, aut aliquid in ea inesse. Vnde nascuntur duo Genera Positionum. Atquè illud quidem Genus, quo ponimus aliquid reperiri in aliqua Re, vel aliquod

quod Prædicatum dici de Re aliqua, aut non dici, est nominata SVPPOSITIO. At ferent ne istud Latinæ Aures? sed vt ferant necesse est; Rebus enim iunsitatis, sunt imponenda Nomina, quæ sint perspicua, nec augeant obscuritatem ipsis. cum præsertim vox hæc sit versa è græco ad verbum; Nam græcè dicitur ὑπόθεσις. *atque hæc quidem, vel ea narrat quæ possunt referri ad multa Genera Rerum, vt* quæ vni & eidem sunt æqualia sibi & inter se esse æqualia; *potest enim referri, & ad Numeros, & ad Magnitudines, quæ duo tota natura inter se se discrepant; & ita hæc appellatur SVPPOSITIO communis: cum verò profertur applicata ad vnū Genus Rei tantū, fit suppositio propria illi Scientiæ, quæ Rem illam tractat. Etenim cum dicimus Numeros, qui vni pares sint, eos etiam esse inter se pares id non præterea pertinet ad aliud quiddam, nisi ad Genus, Numerorum. & ita, duæ sunt suppositiones; idest propriæ, & communes. si verò ponatur quid, quod & ignotum sit, & etiam is, qui discit id non facile concedat, aut fortasse contrariam illi sententiā habeat, id vocatur PETITIO; nam interdum his vtendum est pro principijs, vt nos*

 paulò

paulò post diligenter explicauimus; ponit enim Mathematicus Angulos Rectos esse æquales, istudq́, neque est notum per se, neque is qui discit probare valet absque declaratione. tamen quoniam verùm est, & ipso debet fundari tractatio ipsa, petimus vt nobis detur, quo Res tota commodiùs explanari posit, ex quo petitionis Nomen ipsi impositum est. Cum verò ponitur à nobis quid Res sit, hæc positio vocatur DEFINITIO, et hæc quidem duplex est; nanque vel explanat quid significet Nomen tantũ, vel quæ sit essentia Rei, hisque principijs, aut omnibus, aut aliquibus ex istis præmunienda est tota disputatio Rei, antequam afferatur aliqua Demonstratio; nam debet aliquid ex his poni tanquam Fundamentum, quo tota explicatio stabiliatur, quod nisi quis diligenter efficiat, is imprudens pertubabit omnem Rei notitiam, nec aliquid vnquam rectè docere poterit; cum enim Inter se distincta sint Initia Rei, & quæ genita sunt ex his, separatim vtraquè tractanda sunt, atquè Initia quidem ponenda, post ex his efficiendæ Demonstrationes, quæ alia omnia, quæ ad Rem illam pertinent, explanent. Ac deniquè tota Declaratio, dirigenda est

da est ad normam illam, qua videmus traditas Scientias Matematicas; nam inprimis ponuntur Difinitiones, & explanatur, quid quodq; Nomen significet, post ex his sic positis, fiunt Demonstrationes, quæ declarant illa, quæ in tota ea natura insunt. Et hanc rationem semper sibi proponit Aristoteles, in quaquè parte Philosophiæ explananda, nobisq; vt ad morem hunc omnia exponamus, præcepit: nam hæc propriè est Methodus Demostrandi, quæ veram Rei cognitionem nobis dat, & ipsa tota (vt iam perspicuè quisquè noscere potest) nititur Scientia Principiorum Rei; quæ, si fuerint ignota, perspicuum est, non posse res illas, hac Methodo explanari; nam ignorantur Principia, ex quibus effici possunt Demonstrationes; ex quo cum suscipimus Doctrinam Rerum earum, quarum Principia incognita habemus, nescimusquè an ipsa sint nec nè, aut quæ nam sint. duplex in his Methodus est necessaria; altera enim est accomodanda ad explanationem Principiorum Rei, altera ad illa, quæ sunt genita ex Principijs. Quam rem nos docet Aristoteles, in initio Phisices; nam ait, inquaquè Methodo, quæ habeat Causas, aut Principia, non posse cogni

tionem Rerum earum quæ tractantur, illis Methodis acquiri, nisi ex cognitione Causarum. Vnde cum sit tradenda ibi Scientia Rerum Naturalium, nec istud effici possit, absquè notitia Causarum, vel Principiorum harum Rerum, atquè ista sint ingnota, significat se necessariò hac re cogi, vt prius declaret Initia, post Demonstrationibus Res ipsas explicet: hæc autem Initia, exponenda sunt alia Methodo, de qua ipse eo in loco disputat, & ostendit illam non constare ex prænotione Causarum, sed ex ijs quæ sunt explorata nobis, facere nota ea quæ sunt cognita Naturè. Vnde apparet, istas Doctrinas diuersas esse. Nanquè cum Initia, & ea quæ ex his procreantur sint inter se distincta, necessariò distingui etiam inter se debent Methodi, quæ ad eas declarandas adhibentur; vt enim cuiusquè rei natura est sic etiam explanari debet. sed natura Principiorum et natura eorum; quæ ex his nascuntur sunt diuersa; ob id modis declarandi diuersis quæquè est exponenda. Vnde quæ proficiscuntur ex Principijs, Demonstratione declarantur: Principia verò inprimis Methodo Analytica inquiruntur, post Inductione explanari habent, vt ipse Aristoteles

les ibi etiam nos admonet. ex quo loco similiter intelligimus pertinere ad eum qui vult tradere perfectam rei alicuius Sciētiam vt in primis is efficiat nota, ipsa Rei Initia si sint incognita, post totam Rei naturam Demonstrationibus declaret. Ità Phisicus ibi, Via Analytica inquirit, quid sit Natura, vel quæ, et quot sint Principia Rerum Naturalium, Inductione post ostendit eam esse principium Motus. Quarique hoc loco potest, nùm hæc ratio explanandi, qua declaramus Initia Rei, sit propria eius Scientiæ, vel Facultatis, quæ, ipsa cogitur vti, & Nomine eius sit appellanda, aut ad aliam quampiam Artem id propriè pertineat, ita vt explanatio Phisica haberi debeat illa, quam Aristoteles in Phisicis adhibet, ad explicanda Principia Rerum, aut aliud quoddam Nomen teneat, neque enim facilè factu est iudicare, Dialetica nè, an Phisica (vt in hoc exemplo Aristoteles Immoremur) sit declaratio hæc; nam illud totum explanatur, rationibus sumptis ex Rebus Naturalibus. Itaquè non recedit à munere suo Phisicus, aut à sua Scientia. si tota hæc actio, pendet ex Rebus Naturalibus & tota in his consistit, explanatq; Res Natura

L 4 les

les. Quodsi quis dicat, non posse rationes à Phisico afferri præter illas, quæ sunt assumptæ ex Initijs, Scientiæ eius; tota enim Phisica, ab his ducta est, vnde non erunt existimandæ physicæ rationes illæ, quæ ex Principijs his non proficiscantur, is vera diceret, si vna tantum Methodus valeret ad Phisicam tractandam. sed duas ad istud necessarias esse, tradit Aristoteles in initio Primi Libri Physices. Ità ex eo quod non sunt assunpta ex Initijs, Scientiæ physicæ fit necessariò vt non sint rationes quæ demõstrent. Physicæ tamen dici possunt, & sunt; etenim assumuntur ex ijs, quæ Sensibus perspicimus inesse, in Rebus Naturalibus, & verè declarant Principia ipsarum; quæ incognita sunt. Ità Physicæ dici valent & Rei Scientiam vere gignunt; nam cognoscimus ex his principia esse, & quid ipsa sint. Ità notitiam hanc veram nobis dant, quæ nulla alia via acquiri potest. Ac si quis contrà dicat, explanari quidem Res Physicas, rationes tamen esse Dialecticas, affirmetq; id Aristotelem voluisse, Primo Topices qui dicit, eam habere viam explanandi Principia Artium, atquè Scientiarum, certè id non facit contrà hanc sententiã, cũ appa

reat

reat rationes illas non esse Dialecicas nec probabiles; neque enim communi Homiuum opinione fundatæ sunt, sed rem ipsam verè exponunt, atquè ad alteram aut contrariam partem accommodari non possunt, quod est proprium Dialecticarum ratio:um. Vndè disputatio illa est habenda Physica; quoniam Physicis rationibus tota procedit. Quod idem etiam de quauis alia parte Philosophiæ, aut alia Scientia dici potest, cum rationibus sumptis ex postremis Rei eius de qua disputatur, declarātur Principia illius; nō enim sunt hæ rationes Dialeticæ, sed ad illam Rem tantum pertinent, ex qua sunt profectæ: verè tamen dicit Aristoteles, Dialecticam habere viam, ad explananda Principia Artium, & Scientiarum; nam ipsa ibi valet, vbi tractantur Res, quarum Initia, aliter quā Dialectis rationibus, declarari non possunt. & istud tribuit eo in loco Aristoteles ipsi Dialecticæ, nec aliud planè ut facilè intelligi ex loco illo à quouis potest; Etenim si ex re ipsa suppeditatur ratio exponendi ipsa Initia, stultū est, eā ex Dialectica quærere. Sed de hac re, quisquè ità sentiat, vt sibi placet; nam hæc solum eò attigi, vt locus cuiuis notus fieret.

CA-

CAPVT IIII.

¶ Demonstrat cur diligenter ea tractanda suscipiat, quæ ad Definitionem pertinent. Post, ait ipsam duplicem esse, vnam quæ explicat quid Nomen significet, alteram, quæ declarat quid Res sit. disputatque prius de Definitione Nominis, & explanat in ea summè necessariam esse perspicuitatem.

NVNC reuertendum est ad propositum. Atquè cum de Prænotionibus generaliter explicatum fuerit, quænam ipsæ sint, & quomodò à nobis percipiantur, istud idem quærendum in ijs est, de quibus disserere incipimus. Et id accuratius à nobis effici debet, quò hæc quæ explanare ingredimur, sunt propria Initia cuiusq; Scientiæ, sine quorum, cognitione nullius Rei intelligentia capi Demonstratione potest; nisi enim cognitum habeamus Rem esse, & quid ipsa sit, nulla existit Demonstratio. nec solum Demonstratio, sed etiam quæuis alia vera declaratio rei, omninò tollitur, si sublata sit notitia Rei; nosse enim quid Res est, tantam habet vim in quaquè re percipienda (sicut Aristoteles Libro II. de Demonstratione cap. II. perspicuè declarat) vt id solùm, sit medium quo quæquè Quæstio explanari possit; Etenim in Rebus ijs quæ per

per se constant, nulla alia via cognoscere licet, an aliqua ipsarum sit, nisi exploratum habeamus, quid ea sit, aut teneamus, aliquam partem Essentiæ eius. Vnde ipse ait, nos intelligere Hominem esse, propterea quòd percipimus Animal esse, quod est pars eius. Et hanc Regulam etiam transfert, ad declarandam Quæstionem illam, quam in primo libro de Demonstratione Cap. Primo tractat; idest an Demonstratio sit, aut effici possit: nam ostendit Ratiocinationem esse, quia existit cognitio, quæ simul cum alia cognitione iam ante percepta, capitur; ex hoc fit vt Ratiocinatio reperiri possit: quæ cum sit pars Demonstrationis, eficitur vt Demonstratio ponenda sit. itá quia aliquid Essentiæ eius reperitur, est confitendum eam esse, aut effici posse. Ex quo intelligitur, alterum ex his duobus Principijs; idest, Rem esse, declarari per alterum; idest per cognitionem Essentiæ. Hæcq́ declaratio, fit Demonstratione; nam explicatur Causa, cur Res sit. Quod idem etiam euenit in Rebus ijs, quæ in alijs insunt; cognitio enim essentiæ Rei quæ ipsis subijcitur, ostendit nobis Res illas inesse, aut non inesse, & causam cur insit. ex quibus perspicitur

tur quid sit Res, vel rei Essentiam esse causam siue medium quo quæquè Res sit, & cognoscatur. De hac igitur nos quæremus, qua ratione à nobis ipsa inueniri vel cognoscit poßit. Breuiter autem dilucideq́ (vt opinor) omnia quæ ad id pertinent, hic à nobis tangentur; quoniam hæc eadem exposita latè sunt ab Aristotele in II Libro de Demonstratione, & à nobis etiam de hac re tota ibi, in explicationibus nostris, copiosè narratum fuit. Cum autem Essentia rei à Definitione explanetur: nam ob eã causam inuenta est Definitio, vt rei Natura nota fieret, sicuti Primo Topices ostendit Aristoteles, patet, quæ ratio à nobis tradetur inueniendæ Definitionis, hanc eandem esse, quæ Essentiam rei, in conspectum ponet. Itaquè tota hæc Oratio nostra, versabitur in explicanda Methodo qua rei Definitio inuenitur. Vt autem istud rectè à nobis fiat, breuiter exponendum est, quid sit Definitio, & quæ propriè Definitione explanari poßint. Cum autem duplex huic Voci Notio subsit, idest vel Explanatio Nominis, vel Rei, in primis de ea loquemur, quæ explicat quid deßignat Nomen, post de altera, quæ declarat, quid res sit, atquè ea quidem,

dem, quæ est expositio Nominis, partes rei non attingit, sed denotat solùm quid Nomen quodq; significat; ob quam causam, ad illa potest etiam accommodari, quæ nullo modo sunt. Nanquè explicare licet quid Nomen Centauri declarat, cui res nulla subest; hæc tota petenda erit, ex vsu quotidiani Sermonis: Nomen enim quodquè id designat, in quo Sermo Communis ipsum ponit; is enim est sola Regula, ad quam Definitio hæc dirigi debet, ex quo fit, vt ipsa declaret vnà cum Re ipsa communem Oppinionem, quam omnes de re habent: neque enim istud Nomen ad illam applicarent, nisi opinarentur talem illam esse, qualis à Voce ipsa, est designata. Vnde euenit, vt cum res aliqua est omninò in cognita, explanatio Nominis eius, aperit nobis Aditum aliquem ad eam intelligẽdã, qui alioquì cuiuis omninò interclusus erat & sic ipsa quoquomodo potest dici Principium Doctrinæ, & adhibetur ab Aristotele tanquã Principium in quibusdam locis tractandis; quod idem etiam à nobis nunc effici quisquè videre poterit. Nam quæ hic differemus, omnia ad huius normam dirigemus: conabimur nanquè ex Notione nominis Definitionis, ea omnia

nia inuenire, quæ de hac tradentur. In hac summè necessaria eſt perſpicuitas; niſi enim perſpicuè explanetur quid Nomen ſignificat, nihil attinet, explanationem eius afferre. Sunt enim omnia Nomina, vel vſitata, vel inuſitata, & vnam rem, aut plures ſignificant, ita niſi vſitatum ſit omninò verbum, et rem vnam dilucidè declaret, neceſſaria eſt eius explanatio. Ea.n. quæ ſunt noua, & ob id inuſitata, niſi declarentur, incognita ſunt, et item quæ nimis vetuſta, et ab vſu quotidiani Sermonis intermiſſa: illa verò quæ ob Inopiā Linguæ ad plures res trāsferuntur, diligenter explicare oportet. Nanquè niſi quis planè oſtendat pro qua re à nobis ponantur euenit, vt tota Doctrina confusè tradatur; quod neſcio an peius ſit, quàm ſi nè tradita quidē eſſet: non enim aperitur hoc modo aditus ad Notitiā rei; ſed potius occluditur, nec aliud niſi Error, ac Cōfuſio ī Animis noſtris gignitur, dū dubitamus qua de re Diſputatio habeatur quādoquidē multa Noīe ipſo ſignificari videantur. Hinc poſt naſcūtur Cōcertationes inter illos, q cupidi magis Cōtentionū, quā Scientiæ ſunt: nā aliud, atque aliud quiſquè aicit, & eodem Nomine vtitur. Vnde non repugnant inter ſe, quæ

ab

ab ipsis afferuntur, sed ipsi tantū verbis contendunt, atquè pugnant. Ista nō accidunt in Mathematicis, quia in eis distinctè oīa Nominibus exposita sunt. Nam si quis dicat Circulum, aut Vnitatem, aut Quadratum, aut quid aliud, iam cognitum est, quid quoquè horū Nominum significatur. Et ita in istud tantum, id transferri potest, nec in aliud, atquè aliud. Nec contingunt etiam in ijs, quæ ab Aristotele sunt declarata, quia ipse verus est Doctor, & Magister Disciplinarum. & vult eas gigni Prænotione. Itaquè sint Prænotiones ueræ, ideft sint notæ sint perspicuæ, nec obscurè. aut confusè quid dictū sit, siue Nominis, siue Rei explanatio afferatur, ac si multiplex sit Verbi significatio, ea tantum tangenda, quæ ad rem propositā pertinent, aliæ relinquendæ, aliter nimis loquax Explanatio esset, & superuacanea: cum tamen accidit, vt perfectè intelligi vna significatio non valeat, potest alia ipsius patefaciendæ gratia proferri; sed semper Loquacitas est fugienda. Atquè vt breuissimè, ac maximè perspicuè, Definitio explicari potest, sic est afferenda. Quod vt commodius fiat, si desint Nomina, quæ aptè singulas partes rei explanent, non video cur non possint

fingi

fingi noua, quæ propriè id quod volumus exponere valeant; cum præsertim huius rei Authores habeamus Veteres Philosophos Græcos, quos in faciendis Nominibus multum diligẽtes fuisse constat: et certè stultitia est, quod ipsi sibi licitum existimarunt, id nobis interdictum esse putare. Sed hæc satis sunt ad hanc Nominis Definitionem exponendam; nam de alia accuratè disserendum est, quæ verè est Definitio, & definitè rem aperit.

CAPVT V.

¶ Incipit de Definitione Rei differere, & docet eam esse Prædicatum, quod explicat distinctè totam Essentiam, Rei, & post declarat, quomodo ipsa sit Propositio.

HAEC autem (vt ab Aristotele traditur Primo Libro Topices, Capite quarto) est Oratio, quæ declarat quid sit Esse Rei, & Capite Tertio sæpe nominat ipsam proprium Prædicatum. Ac, Secundo de Dmonstratione Capite IIII & VI. sumit pro Re iam explicata, ac non dubia, ipsam esse Prædicatum proprium, quod totam Naturam Rei explicat, reciprocantq; res, & ipsa. In Primo autem de Demonstratione Ca-

pite II. numerat illam inter Principia Demonstrationum, & vult ipsam distare à Suppositione, quòd non dicit verùm, vel falsum; suppositio verò ait rem esse, aut non esse; quam rem etiam nos supra tetigimus, quibus locis idem nos omnino docet, nec aliud, atquè aliud, nanquè declaratur ab eo, Definitionem verè esse vnum ex ijs Prædicatis, quæ explanant quid res sit, sed differre ab alijs, idest à Genere; & Speciè; quoniam ipsa totam Naturam rei exponit: Vnde fit, vt res, & Definitio reciprocentur. Alia autem nō aperiunt totam Essentiā rei, nec reciprocantur, tum illa, tum res; Principium autem Demonstrarionis, vel Propositio ab eo in Primo Libro est nominata. Ob eam rem, quia ex ipsa fiunt Propositiones, quæ sunt Initia eius, & hoc modo in Topicis Libro Primo Capite Tertio vocat Genus, & Speciem. Propositiones, nullam aliam ob causam; nisi quoniam cum sint Prædicata ex ipsis gigni possunt Propositiones vt ipse ibi dicit; et ita verè & Principium et Propositio quia est Prædicatum, quod pro Medio sumitur in Propositionibus ex quibus fit Demonstratio, & dat Materiam totam ex qua formantur Propositiones.

Nec erat quod Locus is, Themistium tantoperè perturbaret, vt eum non explicatum relinqueret. Etenim disci ex Aristotele potest, (vt dixi) Primo Topices, quomodo Prædicata hæc sint Propositiones.

CAPVT VI.

¶ Disputat de ijs, ex quibus effici debet Definitio rei, & ostendit perfectam Definitionem perspicuè totam Rem declarare, distincteque; vitiosam autem esse eam in qua aliquid deest, quod inest in Natura Rei, aut aliquid additur, quod in ipsa non inest.

NOS igitur hac re iam planè ità explanata, quæremus de hoc Prædicato, vel de hac Definitione, quomodo ipsa effici debeat, et quæ nam via, atquè Ratio ad eam reperiendam valeat, nec in hac re præstanda à Methodo, quæ à nobis in primo Libro est tradita, discedemus. Nanquè pro vero putamus, quod Secundo Libro de Demonstratione Capite Secundo, est diligenter ab Aristotele declaratum; idest, Quid Res sit esse Initium, quo cuiusquè rei notitia capi valet, nec ex alio loco vllo eam reperiri posse. Itaquè in hoc Sermone nobis, propositum erit tanquā Initium quoddam, à quo tota Disputatio eruenda

est quid sit ipsa Definitio: etenim Essentia Definitionis, vel Finis eius, nobis ante Occulos Mentis ea omnia ponet, ex quibus effici debet, et etiam declarabit quomodo aut quo ordine, quodquè ipsorum ad eam efficiendam adhibendum sit; atquè nisi quis istam intuens ad hanc, id totum quod affert, accomodet, necessariò quid in eâ efficienda peccabit. Quid igitur est Definitio? quæ est hæc Essentia? Finisquè eius? is nihil aliud (sicuti iam planè dictum fuit) est, quam explanatio Naturæ rei, vel Prædicatum, quod declarat quid res sit perfectè, idest quod distinctè constituit ante occulos singulas partes, ex quibus rei Essentia est effecta. Age igitur istud totum (si placet) diligenter attendamus atquè nobis quidem, id tota Mente Cogitantibus duo in primis occurrunt, quæ in quaquè Definitione necessaria esse, putandum est. Primum vt tota res idest singulæ partes, quæ efficiunt totam Naturam eius reperiantur de inde vt planè declarentur; quæ enim ex his constabit pro perfecta definitione meritò habenda erit, atquè quod ad primùm attinet, facilè est videre in illo præstando tria à nobis peccari posse. Nam si quid in ipsa adhibebitur,

M 2 quod

quod in eius Essentia inclusum non sit, erit Definitio vitiosa: cum enim profiteatur declarare tantum rem illam, ad quam Definitio pertinet, aliquod aliud ad istam adiungit, quod in ea non inest, idquè facit ne res perfectè intelligatur, & sic est vituperanda, nec Definitio probè dici potest: nam ipsi deest perfecta explanatio rei, quæ necessariò in quaquè Definitione reperiri debet. Nec minus etiam vitium habẽdum est, siquid in ea omittatur quod necessariò in re inest: eadem enim ratio ipsam non esse Definitioucm ostendit; quandoquidem non efficit rem notam perfectè; pertinet etiam ad locum hunc, vt partes rei, eo ordine dispositæ narrentur, quo res ipsa est effecta: nam si aliter id fiat, non explicatur rei Natura, sed confusè tota traditur; ità non prba eius Cognitio in nobis gignitur; Sic hac Definitionis parte admouemur in Definitione tradenda perficiendum esse vt singulæ partes rei, ità declarentur, vt nec aliqua ex ipsis desit, aut aliqua alia in ea redundet, & suo ordine quæquè sit explanata. Alia autem pars qua, dicitur ipsam esse explanationem, vel quid quod explanat, aut notam facit rem Ostendit perspicuè rem esse ab ipsa

Defi-

Definitione declarandam : ex quo apparet perspicuitatem ex ijs esse, quæ per se & necessariò in Definitione continentur, & remota ipsa, Definitio nulla haberi debet. Nam vt ait Aristoteles Secundo de Demonstratione Capite XV, sicuti Demonstratio non potest esse Demonstratio, quæ eadem non est ratiocinatio, sic Definitio pro nihilo putari debet, quæ perspicua non sit : quemadmodum enim tota Essentia Demonstrationis in eo est, vt forma ratiocinandi necessariò ostendat aliquid inesse in aliquo, ita tota Natura Definitionis id agit, vt explanet, quid res sit : sed quæ potest esse explanatio ista, aut quanti planè estimanda, si res perspicuè exposita non fuerit ? ita euenit vt nihil omninò valeat Definitio, quæ obscurè narratur. Quod si verùm erit (sicuti planè est) nihil fermè inter perspicuitatem, atque Definitionem interesse poterit, aut ita nexa inter se ista duo erunt, vt alterum ob altero separari nullo modo possit. Vbi enim Definitio est, ibi perspicuitas sit oportet, nec ista absque Definitione alicubi fermè extare valet. Ita intelligitur quanquè Methodum, qua aliquid rectè docetur, Definitione dirigi, & Definitione fundare explanationem

suam; quid enim est Demonstratio, quæ aliquid inesse in aliquo dilucidè nō ostendit? sed quid ego istud de Demonstratione dico? quid valet Propositio illa, quæ vnum de vno (vt ait Aristoteles In Secundo Capite Primi Libri de Demonstratione nō dicit? idest quæ aliquid certè et dilucidè de re aliqua non narrat? latissimè patet res ista: nihil .n. omnino esse scripta illa oportet, quibus perspicuè idest definitè, & explanatè aliquid nō est traditum. Exclamat diligentissimus ille in Medicina docēda Galenus, Veteres aliquos Medicos, qui Curationes Morborū literis persecuti sunt, plus mali, quā boni Hominibus attulisse, quod eas explicatè, distinctè, ac deniquè perspicuè explanatas nobis non reliquerint. Cum enim scriptum apud eos ità fermè sit, ad Singultum exempli gratia facere Piper, & Castoreum, aut quid aliud, multiplexq́; sit natura, Singultus (etenim tum calore, tum frigore, tùm tenui, & acri, tùm crasso humore ea constare potest) nec ex Scriptis ipsorum quispiam intelligat, ad quem ex istis Singultum, id sit propriè Remedium accommodandum, fit vt si quis istud non satis attendens, in quo nam Singultu eo vti debeat frequen-

frequenter non curet, sed augeat Morbum, & hoc modo plus damni faciat, quam utilitatis, ità quia perspicuè id est definitè de singulis res explicata non est, nec explicatam quidem esse verè dicere licet. Percipimus itaquè ex istis, ità permixtam esse Definitionem in quaquè forma docendi, vt hæc tota ab ipsa sit: idq; ob eam causam, quia nihil absquè hac perspicuè nihil certè declarari valeat. Et istud est, quod & supra sæpe significaui, & Aristoteles nos docet II de Demonstratione Capite II: Idest Definitionem, vel quid Res sit, *esse Causam, aut Initium, quo quanquè Rem intelligimus. Quæ quidem, cum alijs omnibus, quæ aliqua Doctrina aut Arte explanantur, lumen & perspicuitatem det; vt ipsa multò perspicua sit, perficiendum erit. Id nos qua ratione effici possit, explanare ingrediemur, & docebimus qua via ea inueniri valeant, ex quibus ipsa constare debet.*

CAPVT VII.

¶ Declarat non posse Definitione explanari quid sit Res, nisi ipsa contineat Prædicata, quæ id explicant. & ostendit, ista esse Genus, & Differentiam; nam hæc inter se iuncta, perspicuè aperiunt quid Res sit. deindè demonstrat, quæ nam Res Definitione exponi possint, & quæ non possint, & ab ipsa explicari tantum, Naturam Rei vniuersam, quæ nomine Generis, vel Speciei declaratur. hinc fieri ostendit, vt Genera media, & Species extremæ in Definitionem cadant, nec aliud quidquam.

PERSPICVVM autem est, non posse ab illa declarari, quid sit Res, aut quæ sit tota Natura rei, nisi omnia in se contineat, quæ ad istud explanandum valent: ista autem sunt, quæcunquè semper de Re dicuntur; idest sunt Prædicata necessaria, quæ vniuersè & semper in Re insunt; nec re ipsa, aut cogitatione à Natura Rei separi possunt; sunt enim talia, vt nequè sine his, Rei natura constare, aut quæ qualisq; sit, intelligi possit. Tria autem omnino esse. Prædicata, quæ declarant quid sit Res, aut ad ista tria omnia alia referri, nec alia vlla reperiri posse, quæ id valeant, nos docet Aristoteles Primo Topices Capite VIII. Etenim quæ declarant quid Res sit, & ita sunt, vt in vno-

quoque

quoquè ex decem Cathegorijs, supra ipsam Rem ponantur. Nequè enim quæ alijs Subiecta sunt, explanant quid sint Superiora, sed contra superiora ostendunt quid illa sint, quæ sub se subijciuntur. Exempli gratia si quæratur quid sit Animal, non rectè risponderi potest, ipsum esse Hominem: sed istud assumendum est, ex ijs, quæ supra ipsum sunt. itaquè probè respondemus, ipsum esse Corpus, aut Corpus Animatum. Quod idem etiam fit in singulis alijs Cathegorijs. Ex qua re perpicitur, ista Prædicata, vel esse Genera rerum earum, quas Definitione explanare volumus, vel assumi ex his Generibus. Vndè Species quia Species est, non poterit in Definitione adhiberi tanquam Prædicatum: quoniam vt talis est, alijs subijciuntur, non autem de ipsis dicitur. Itaquè tota Definitio complectetur id Prædicatum, quod pertinet ad Genus, & id de Specie explanabit, quæ sub eo est. atquè ità declarabitur quid ipsa sit: sed id per se non valet, ad ostendendam totam Naturam Speciei; quoniam Genus quidam est pars eius, & includitur in natura ipsius, atquè aperit quid ipsa sit; non tamen est idem, quod ipsa, sed latius patet, quam ea, &

Itaque *deniquè*

deniquè ab ea differt. Vndè aliud quid est adiungendum ad istud Genus, quod simul cum eo declaret perfectè, quid sit ipsa Species. Istudq́, vt iam expositum fuit, non potest inueniri nisi ex ijs, quæ supra ipsa sunt: supra autem Speciem, recta quidem via nobis ad superiora ascendentibus, nihil occurrit, nisi ipsum Genus, quod quidem continet naturam omnium eorum, quæ supra ipsum sunt. ob quod, nihil in hoc reperitur, quod ad declarandam Naturam Speciei valeat. ex quo aliundè, idest ex latere (vt breuiter rem tangam) eorum, quæ in Cathegorijs consistunt, id quæri debet. Est ergo petendum ex latere ipsius Generis: In hoc autem loco, non est aliud quam Differentia; hæc enim est inclusa in intima Natura ipsius Generis, & magis distinctè quam faciat Genus ipsam patefacit. & hac de causa adiungitur ad latus eius. Ità, magnopere nos adiuuat ad explicandam totam Naturam Speciei, quæ nihil aliud est quam Natura Generis Differentia conformata. Itaquè si Genus verum, & Differentias eius veras adhibebimus, ad explicandum quid Species sit, nullum Prædicatum prætermittetur à nobis, quod eius Naturam

expi̇̀el

explete aperire valeat. omnia enim in his includuntur, nec alia reperiri possunt, quæ ad id pertineant. Ex quibus patet, hæc esse vera Prædicata, vnde cuiusq; Rei Definitio effici debet. Quod etiam rationibus ex Physica sumptis, facile ostendi posset: sed non sunt permiscendæ Disputationes Physicæ cum his. Declaratur etiam hoc loco, quæ his duobus Prædicatis carent, Definitione non posse intelligi. ita summa Genera, vltra quæ nullum aliud relinquitur Prædicatum, in Definitionem cadere non poterunt. Ex quo, media Genera, & postremæ Species sic declarabuntur, nec alia vlla: Nam Definitio, ad hæc tantum valet; etenim quæ sub extremis Speciebus sunt; idest Res ipsæ Singulares Definitionem etiam habere non possunt; nam sunt infinitæ, nec eodem statu Naturæ permanent; vnde nec Ratione cognosci, nec Scientia comprehendi valent. Ita nec Definitio etiam in eas conuenit; quoniam ipsa est Principium, à quo & Demonstratio, & Scientia gignitur. Hinc fit, vt Res tantum Vniuersæ in Definitionem cadant, & ex his illæ, quæ aliquod Genus supra se habent, quod cognoscitur ex illis Definitionibus, quæ à sin-

à singulis Artibus, atquè Scientijs afferri solent; nulla enim ipsarum rem singularem explanat, sed totam Naturam eius. Etenim nec Mathematicus explicat quid sit iste Triangulus, qui est hic descriptus, sed totam Naturam Trianguli, quæ huic, & illi, & alijs singulis est communis. Item & Arythmeticus explanat Numerum, & quisq; alius denique totam Naturam Rei, quæ per plures res est diuisa Definitione complectitur; quoniam hæc sola (vt dictum fuit) ea explanari potest, & ipsa (sicuti etiam supra ostendimus) vel Generis, Nomen vel Speciei tenet; idest vel est cōmunicata Generibus, quæ inter se Specie differunt, vel multis Speciebus Natura inter se distinctis. Ac de his vtrisq;, docenda ratio est, qua cuiusq; horum Definitio rectè inueniri valeat. Atquè in primis de his quæ ad Speciem pertinent post de Genere dicendum erit; nam facilius Speciei Definitionem, quàm Generis, quisq; reperire potest; quoniam ipsa proprius accedit, ad Naturam Rei Particularis, quæ nobis magis est cognita, quàm sit ea, quæ est Generalis.

CA-

CAPVT VIII.

¶ Dicit necesse esse ad reperiendam Definitionem Rei, in primis inuestigare verùm Genus Rei, et id applicare ad Rem definiendam. & docet quomodo istud rectè effici à nobis possit.

IN hac necessarium omninò est Genus sub quo ipsa Species est subiecta, ante omnia nosse; nã istud est pars Naturæ aius, & Principium à quo illa est inchoata, & tota effecta. Atquè nisi istud cognitum fuerit ' non potest aliquomodo intelligi, quid species sit. Id quærendum erit, in aliqua ex decem Cathegorijs; idest in eadem, inqua species consistit, nam supra ipsam est collocatum. Sed de ratione tota, qua istud inueniri potest, & omninò cognoscere valeamus, an aliquod sit Genus alicuius, suprà à nobis diligenter èst expositum, Libro Secundo; nam id discitur ex Locis, qui traditi sũt ab Aristotele, Libro IIII. Topices, qui propriè ad istud pertinent: nos autem ibi ea attigimus quæ satis esse duximus ad id, quod nunc agimus. Ex eo loco igitur, id totum percipi poterit. A nobis etiã, eodem Libro I I. tacta est alia quædam Via, quæ ad istud inueniendum nos facilè feret. De

qua

qua non inutile erit, hic narrare nam viden dum est, an Res ipsa, de qua inquirimus, ad aliquam Artem, aut Scientiam pertineat; nam Res sic erit, vt Genus, in quo Ars, vel Scientia versatur, sit & Rei eiusdem Genus. Exempli gratia, si quæratur Definitio Ternarij, quia istud ex ijs est, quæ ab Arythmetica tractantur, fit vt Genus in quo versatur Arythmetica idest Numerus, sit & Ternarij Genus. similis est ratio cæterarum rerum; nam quæ ad Physicam, aut ad aliam quanquè Philosophiæ partem conueniunt, habent idem Genus, quod & illa Pars explanat. Ità euenit, vt si Leonem verbi gratia aut Taurum, aut quid aliud simile explicare propositum sit, ea Pars Philosophiæ, ad quam tractatio horum congruit, & est illa, quæ de Animalibus inquirit, Genus harum omnium Specierum nobis suppeditet. Idem accidet si vel Ficum, vel Prunum, vel Fraxinum, aut aliud quid tale definiendum suscipies, ex eadem Parte Philosophiæ quæ ista explanat, Genus horum facilè inueniri potest. Sed nè quis error hoc in loco creetur, Genus illud intelligo, quod est tale, vt sub ipso Species subijciatur, et inter ipsum, & Speciem

ciem nullum aliud medium Genus sit; id enim verè Genus est, & continet in se omnia Prædicata superiora, idest quæ supra ipsum in Cathegoria rectè posita sunt. Ex quo fit, vt si istud adhibeatur, in Definitione, superiora omnia, quæ in eo inclusa sunt, etiam edhibita sint. Et ità non necesse est ipsa ponere: si verò id omittatur, & alia superiora omnia addantur, nihil valeat Definitio; quandoquidem ipsi deest verùm Genus; si quis enim explicans quid sit Fraxinus, dicat eum esse Stirpem, is nihil fermè declarat, aut non propriè Rem declarat; nõ enim affert verum Genus. Etenim inter Fraxinũ & Stirpem, est Arbor quæ est verùm Genus Fraxini, & segregat eum à Virgultis, ab Herbis, & ab alijs, quæ voce Stirpis declarari videntur. Vnde fit, vt superuacanea sit vox ipsa; & hac de causa obscura, & vitiosa reddatur Definitio. Istud idem, in quaquè Definitione accidet, si quis relicto verò Genere Rei aliquod ex his Prædicatis, quæ supra Genus sunt, ad eam adiungat; qui enim explicare volens quid sit Candor, ait ipsum esse Qualitatem, is nimis altè Genus repetit, & ineptè, ac planè inscitè loquitur; neque enim definita est Explanatio

natio, & perspicua, sed omino confusa. ac ne explanatio quidem verè dici valet; cùm enim multa, ac fermè infinitæ res, hac voce ostendantur, vix intelligi potest, quæ nam ex istis sit attributa Candori. ita nihil aliud nisi confusio quædam, hac voce in Animis nostris creatur. Et ob id Definitionis Nomen, rectè non habet, quæ sic est explanata: secus erit si loco huius, ponatur Color, nam iam quid certi de Re cognoscimus, quoniam verùm Genus profertur quod est Pars Essentiæ eius.

CAPVT IX.

¶ Declarat in primis qualia sint reliqua Prædicata, ex quibus efficienda est Definitio. & post docet, ex sola Methodo diuidendi, intelligi quomodo tum omnia ista sumi possint, tum ordine ad Rem explicandam, in Definitione disponi valeant. Et item ostendit, Methodum Analyticam, ista omnia inquirere, atquè inuenire, & an verè insint in Re aut non insint, Inductione declarari.

INVENTO Genere, alia Prædicata inquirenda, quæ aperiant totam reliquam Naturam Rei: atquè hæc omnia, vt vniuersè, & semper, & necessariò in Re insint oportet; neque enim ex alijs, Rei Natura consiare potest, & hæc sola patefaciunt quid ipsa sit. ista, in eadem Cathegoria

theoria reperiuntur, in qua inest Genus, & Species postrema, de qua nunc inquirimus. atquè ex his, alia supra genus Rei collocantur, & patent latius, quam ipsum, alia partim ad latus eius adhærent, partim infra ipsum sunt, et ista omnia de ijs dicuntur; de quibus etiam Genus. Atquè ea quidem, quæ latiora sunt Genere, nihil necesse est, distinctè in Definitionem includere; quoniam sicuti expositum fuit, Nomine Generis omnia declarantur. Cauendumq; ne quid superuacaneum in ea adhibeatur. Nam qui Animal, tanquam Genus Leonis in Definitione ponit, is simul cum hoc omnia Prædicata, quæ in Cathegeria, Substantiæ supra Animal consistunt, profert, idest corpus substantiam & alia. Ità superuacaneum est, aliquid horum ad Definitionem separatim adiungere. Illa itaquè tantum in eam conijcere oportet, quæ non patent latius, quàm Genus. nam ista si sint differentiæ, quæ lateri Generis infixæ sunt, patet has vel harum contrarias necessariò in re esse: si verò infra Genus consistant, omninò de Re dicuntur, & sunt Prædicata, quæ explanant quid Res sit, quoniam supra ipsam Speciem, & rem, de qua Definitio

inquiritur sunt. Itaquè hæc in vnũ rectè, et ordine congregata, totã Essentiã rei planè explanare poterunt, ac licèt quodq́; horũ separatũ ab alijs latius sit re quæ definitur, tamẽ si hæc diligenter tractata fuerint, in his oĩa reperientur, quæ ita totã Naturã Rei adæquabunt; vt nec vlla pars eius relinqui pſsit, nec alia vlla in illa redũdet. Nam si quis afferat Definitionẽ Ternarij (libenter .n. ea Exempla proferimus, quæ sunt ab Aristotele apposita) in primis ei occurrit Genus, idest Numerus; is .n. est Genus Ternarij, nec supra hoc aliud inquirere oportet; itaquè istud est primum Prædicatum necessarium, quod latius patet Specie, & continet in se, quæ in alijs speciebus insunt, post ei se se ostendit impar; necessariò enim omnis Ternarius est impar, & istud non patet latius quàm Numerus, sed tamen latius est, quàm Ternarius; nam sunt alij Numeri impares. Postremò istud necessariò in eo inesse cognoscimus, quòd ipse est primus duobus modis; idest tum quia non constat ex alijs Numeris, sicuti Septemnarius (exempli gratia) constat ex quatuor, & ex tribus, tum etiam quia nullus, alius Numerus illum metitur: sola enim Vnitas

tas ipsum metiri potest; ipsa verò non est Numerus, ac licèt id in alijs insit; nam Septemnarium, etiam Vnitas metitur, tamen ab alijs differet, quòd ista duo in se habet, quæ efficiant cum primum: nequè enim est reperire numerum alium, in quo ista insint, ità hæc omnia simul congregata totam Naturam Ternarij, expositam nobis ante oculos Mentis ponunt, nec in aliam congruunt. Itaquè existimandũ est, ista Prædicata esse verã Definitionem Rei; cũ.n.declarent quid Res sit, et insint vniuersè ac necessariò in Essentia Rei. Confitẽdum erit ipsa esse aut partẽ Essentiæ, aut Essentiam totã, sed ipsa non esse partẽ ex eo cognoscitur, quoniã Genus Rei dici nõ possunt. quandoquidem Genus plures Res, vel Species, Natura inter se distãtes continet, et de his dicitur; hæc aũt ad Naturã Rei vel Speciei tantũ pertinẽt, et ipsam totã Essentiamq; eius explanant, congruuntq; simul cum hac, & ad res singulares, atquè indiuiduas, quæ ea Natura, atquè Specie comprehenduntur. Itaquè erunt vera Essentia Speciei, cum sic inter se iuncta declarent singulas partes Essentiæ, ex quibus Res est effecta, & distinguant eam ab alia quaquè.

Sunt ergo Definitio; atquè ista quidem, vt apud Aristotelē conscripta extant, sic etiam à nobis sunt explanata. Tantum in id laborauimus vt perspicuè omnia exponerentur; patet autem in his Prædicatis explicandis, & disponendis Aristotelem vsum esse Via diuidendi; descendit enim (vt apertè apparet) à Genere ad inferiores Species, atquè ad vnam quanquè Speciem, vel Genus medium distinguendum Differentiam primam adhibuit, donec postrema quædam Differentia sese ipsi obtulit, quæ propriè gignit Naturam Rei, de qua ipse quærebat, & hanc talem esse, ex eo certè percepit; quoniam infra ipsam nulla alia Differentia reperitur, aut Species, cuius illa Forma *sit, sed solū singulares Numeri, id est is, atquè ille NumerusTernarius, et alius, atq; alius. Atquè hæc non aliter esse, ac dicimus, facilè erit videre, si percurrātur omnia, quæ iam tacta sunt. quod haud inuitus faciam; quoniam Res hæc Lumen affert huic Loco, quem nunc tractamus. Genus itaquè quod inuentum est ab eo, vel ex Locis ijs, qui propriè ad id pertinent, vel alia regula, atquè via, de qua ostendimus, ipse diuisit Differentia, quæ omninò est prima,*

idest,

ideſt, quæ totam Naturam eius amplectitur. Etenim omnis Numerus vel eſt par, vel impar, quoniam verò conſtat Ternarium eſſe imparem, ideò hæc Differentia eſt adiungenda Numero; reddet autem Naturam Generis magis anguſtam: efficitur enim ex his duobus ſimul iunctis Genus, quod eſt infra Numerum, ideſt, Numerus impar, itaquè Ternarius erit Numerus impar. Cum verò iſta duo Prædicata nondum planè, & perfectè declararent Naturam Ternarij; nam latius patent, quàm Ternarius; transferuntur enim ad Septemnarium, & ad alios. ob id alia Differentia adhibita fuit, quæ adhuc magis iſta in anguſtum adduceret, et ipſa eſt ſimiliter prima; quoniam ſeſe diffundit ad omnem Naturam, quæ per ipſam diuiditur. Omnis enim Numerus impar, vel eſt primus vel non eſt primus; vocat autem Numerum primum eum, quem Vnitas metiri valet: itaquè apparet Ternarium eſſe Numerum primum; nam Vnitas illum metitur; ſed iſta omnia nondum explicant propriè, & per ſe Naturam Ternarij; ſed ad alias etiam Species Numeri pertinent, quæ ſunt diſtinctæ à Ternario. Etenim Septemnarius verbi gratia

N 3 eſt

est Numerus impar primus, ob quod ista Prædicata nondum adæquant Naturam Rei, quàm inuestigat; & ità aliam Differentiam protulit, quæ similiter est prima, nam omnis Numerus primus, vel est primus vnò modò, vel primus duobus modis. Primum autem Numerum duobus modis esse dicunt eum, quem Vnitas metitur, neque constat ex Numeris, atque id cum appareat in esse in Ternario, & de nullo alio dicatur, rectè poterit adiungi ad ea Prædicata, quæ sunt inuenta, & simul cum eis explanabit totam Naturam Ternarij; nec præterea quid aliud perquirendum erit, quod ad id necessarium sit. Nam Ternarius est Numerus impar, primus duobus modis, & vicissim verè dicitur Numerus impar, duobus modis est Ternarius. Itaque pro certò putandum est, istam esse Definitionem Ternarij; quoniam infra Ternarium nulla relinquitur Species inquam ista conuenire valeant, & vicissim omnia verè dicuntur. Hæc autem propterea Oratione hac nostra hic dilatare placuit, vt distinctè perspici posset, quid valeat Methodus ista Diuidendi ad Definitiones rectè tradendas. Nam in quaquè Definitione tria necessaria

sunt,

ſunt, primum vt omnia Prædicata, quæ explanare poſſunt quid res ipſa, quæ Definitione exponitur ſit, in ea referantur, nec aliquod ex iſtis prætermittatur, tum vt quo ordine à Natura genita in re iſta ſunt, eodem explanentur Poſtremò vt nullum alìud inutiliter ad eam addatur, quod ad Rem non pertineat. Iſta omnia, ſi ea attendantur, quæ de hac Methodo ſunt à nobis tradita Libro Secundo, rectè à nobis fient, nanquè cognoſci poteſt ex Definitione Ternarij quam modò, ex Ariſtotele tranſtulimus, ipſam perfectè explanatam eſſe, & ordine omnia expoſita fuiſſe, quoniam ſemper prima Differentia omnia diſtincta ſunt: fit enim vt nulla pars Differentiaq; Rei, quæ vel lateri Generis hæret, omitti valeat, ſi iſta proferatur, nec aliquod Genus, inferius tranſiliri poſſit, atquè vt poſtremò ſingula inueniantur, & tandem perueniatur ad extremam Rei partem vel Differentiam, quæ Naturam Rei perficit, nec in aliàs diuidi valet. Idq; nam ſupra à nobis Libro Secundo breuiter tactum fuit; nunc verò magis perſpicuè exemplo allato eſt patefactum, & paulò poſt etiam cum Definitionem Generis medij tractabimus, diligen-

gentius explicabitur. In istis etiam, quæ sic exposita sunt ab Aristotele Secundo Libro de Demõstratione Capute XIIII. aperte perspicere licet verum esse Methodum hanc, nihil neque docere, neque Ratione declarare, sed sumere omnia pro notis, & petere vt dentur. Cum enim diuiditur Genus Differentijs contrarijs, sumitur deinde alteram inesse in re. V. G. dicimus Ternarium esse parem, aut imparem, post petimus vt detur nobis ipsum esse imparem vel sumitur tanquam notum; istud idem semper in quaque distinctione, ab illa efficitur præclarèque Aristoteles Rem hanc adnotare volens, dum explanat Definitionem Ternarij, ait sumi esse imparem, aut primum, nec aliter vnquam loquitur. Sumuntur autem, quæ parata sunt, & Nota, ex quo non declaratur quid ab ea, licetq́ cuique, si quid ipsi non placeat, aut non probetur, dicere, non ita esse, nec ista Methodus ad id ostendendum aliquid affert. Itaque tenendum est id nos habere ab ipsa, vt ea quæ inuenta sunt, et iam parata habentur, in ordinem adducat, & nullum ex his transiliat, aut omittat, quod quidem ad exponendam, Naturam Rei, et ipsam distinctè constituendam

stituendam ante Oculos mirificè prodest. Qua verò via ista Prædicata inueniantur, non erit difficilè explanare. Nam perspicuum est hæc in illis reperiri, in quibus extant: Speciei autem Essentia in rebus singularibus, atquè indiuiduis insita est, quæ sub ipsa subijciuntur. In his ergo nos inquirere ipsam oportet; quoniam in eis inclusa est. Via autem, qua ad hanc peruenimus est Via illa, vel Methodus Analytica, de qua Primo Libro multa disputata à nobis sunt. Nam reuertendo ab ijs, quæ postremò Natura efficit, vel à fine ipso, imus ad inuestigandam totam Essentiam Rei, vel ipsa initia, ex quibus ea constat; postremò autem Natura in Speciebus gignendis sibi proponit res singulares; has enim & esse, & conseruari vult, & ita totam hanc Vniuersi Naturam sustineri. Isq; est Finis, qui, maximè ab illa est exoptatus, & cuius causa omnia efficit. In his autem procreandis suo quodam Itinere à primis quibusdam generalißimisq; Initijs ad ea, quæ propria cuiusq; Naturæ sunt, et ipsam perficiunt, procedit; cuius quidem contrarium iter nos conficere oportet, si ad ista eadem Initia, ex quibus quæquè Natura constat, perue-

nire

nire volumus. Etenim, quæ Sensibus obijciuntur, inprimis considerare cogimur, et ex his ad alia proficisci, quæ Sensus latent: Sensibus autẽ occurrunt, quæ postremò Natura efficit, vnde reuersionẽ contrariã Itineri Naturæ in his conquirendis facimus, & ita Via Analytica reuertimur ad Principia Naturæ, idest ad Essentiam Rei. Nam quia videmus hunc Hominem, atquè illum, & alium, ac denique singulos Homines loqui, scribere, prouidos esse, Consilios, Legibus inter se se consociari, et alias quasdam similes Actiones agere, quæ ab alijs Animantibus non geruntur. Ex hoc intelligimus Initium quoddam in omnibus esse, quod est causa, quòd illas gerat, et istud nominamus Rationem, existimamusq; id vnum ex ijs Prædicatis esse, quæ efficiunt Essentiam eius; nam semper, & in quoque Homine est, dumq; manet Vita eius: vt istud in eo appareat, necesse est, & sic à postremis redimus ad prima; idest inuenimus Initium ex quo Natura Hominis est genita. & item quoniam hos singulos Sensum habere cognoscimus, nec eorum Vitam stare posse absq; Sensu, iudicamus in eorum Essentia contineri Vim hanc à qua Sensus nascitur, nomina-

nominamusq́; hanc partem Essentiæ Animalem, vel Animal. Ità reperta à nobis est altera pars Essentiæ Hominis; istud idem contingit alijs rebus omnibus; nam cum perspectum à nobis est hunc atquè alium Ternarium, & singulos quosquè non cōstare ex Numeris, et Vnitatē ipsos metiri, atquè impares esse, & notum habemus ista in omnibus his reperiri, semper, & necessar ò, pro certò dicimus hæc Prædicata esse Essentiam Numeri Ternarij. Ità reuersio à postremis ad prima nobis perspicuam efficit Speciei Naturam, & subijcit nobis ante Oculos Prædicata, quæ explanant, quid ipsa sit: sed ista omnia (vt planè expositum est) reperiuntur contrario ordine ac Natura ipsa procrearit. Vndè Methodus diuidendi in hoc necessaria est, quæ sumens ista sic inuenta, ex ordine ipsa disponit, & Methodo definiendi dat, vt explanentur. Ità percipitur istas Methodos, sic inter se copulatas esse, vt altera sine altera fermè nihil possit. Quod si de aliquo Prædicato, quod Methodo Analytica sit inuentum, dubitetur hæreat ne in re, aut non hæreat, Inductio ad id ostendendum parata est. nam quia in hoc atquè in illo, & in alio, atquè alio, istud inesse cernitur,

cernitur, vt in omnibus insit, affirmandum erit si inest in omnibus semper etiam inesse existimare oportet, si tale sit, erit necessarium & vniuersè inerit: Sed ista alibi sunt tradenda. Nunc quæ sequuntur explanare oportet.

CAPVT X.

¶ Declarat rationem, qua Definitio Generis inueniri potest, & ostendit Viam diuidendi id prodesse, vt ordine partes Definitionis disponantur. Et postremò ait Methodo Analytica cognosci posse, an vox aliqua verè sit Genus, aut non sit.

SEQVITVR autem, vt expositis ijs, quæ ad Definitionem Speciei reperiendam pertinent, Viam, & Rationem ostendamus, qua Essentia Generis à nobis inueniri poterit. Ad hanc inuestigandam, ista eadem via, quæ nos ad Speciem duxit ingredi oportet: nam quemadmodum Essentia Speciei est diuisa in singulares res, & in his inuenitur, sic Natura Generis, est tota distributa in suas Species, et in his reperienda erit. Nam cognita Natura Specierũ, in his necessariò elucèt Natura Generis; quoniam istis est communicata, et sic ex his cognosci potest; quod ita redeundo a Speciebus vel ab

inferioribus progredimur ad Prima, & ad Genera, et hæc Via est Analytica. Necessarioq; nobis sic faciendum est: quoniam cum Natura Generis longius distet, quàm Species à Sensibus nostris, est minus etiã nota nobis, quàm sit Species, ita in ea inuestiganda vtimur Prænotione Speciei, nec alia Via ad cognitionem huius peruenire licèt. Ex quo inprimis perficiendum est, vt cognitas habeamus Species vltimas, quæ sunt primæ et simplices Species; quoniam post singulares Res ipsæ nobis primò occurrunt, & in has Genus distribuere oportet. Post quæquè ex his, aut certè magna pars ipsarum Definitione explicanda est: nihil enim refert omnes ne, an aliquæ ex his proferantur; æquè nanquè in paucis, atquè in omnibus perspici potest, quod quærimus: fiet enim omnino, vt ex Definitione cuiusquè harum percipiamus, quæ propriè insint in quaquè specie, & quæ non propriè insint; sed sint communia cum alijs, resquè sic erit, vt quæ reperientur communia alijs, ista sint partes ex quibus constat Natura Generis, & tanquam Differentiæ ipsi propriæ adhiberi debeant, ad explanandum quid sit illud. Vnde patet hac ratione facilè inueniri posse Differen-

tias

tias quæ sunt partes Definitionis Generis. Altera autem pars Definitionis huius, quæ est Genus non opus habet accurata inquisitione. nam est, Genus summum, sub quo subicitur istud Genus medium, de quo inquirimus, & ita facilè reperiri, ac cognosci valet. Exempli gratia, si quæratur quæ nam sit Definitio Lineæ, occurrit ipsa Quantitas; nam hæc est Genus summum, sub quo Linea collocata est. Si de Animali explicemus, Substãtia, vel Corpus erit Genus; neque enim interest. an sumatur illud, quod altißimo loco consistit, aut aliquod ex illis, quæ paulò infra ipsum sita sunt. Itaquè ex isto, & ex Differentijs narratis tota Definitio quam quærimus, perfecta reddetur, atquè, vt Res hæc tota magis perspicua adhuc efficiatur, Exemplis est declaranda. Si quis velit hac Via reperire quid sit Essentia Animalis, de quo nũc loquimur, hæc nõ cõstat per se, sed in Equo, Leone, Homine, et alijs Speciebus, (nequè enim singulas afferre (vt dictum fuit) oportet insita est, quæ sub ipso sunt subiectæ, atquè vt rectè omnia inueniri valeant, Definitiones harum explicari debent. Sed qua Via hæc inquirendæ sint, iam traditum est. Itaquè Homo erit Res

Animata Sentiens, quæ duos habet Pedes, & Ratione vtitur: Equus autem erit similiter Res Animata Sentiens quatuor habens Pedes, quæ hinnire solet; Leo verò ē Res Animata Sētiens, Fera, & Rugiens. Igitur communia his omnibus sunt Res Animata sentiens: alia autem propria cuiquè. Vnde ista si adiuncta sint ad Genus summum, sub quo Animal subijcitur, gignent integrā Definitionem Animalis. Istud autem est Substantia, vel Corpus, ex quo perfecta Definitio Animalis erit Corpus Animatum Sentiens, eademq; Ratio applicanda erit ad inueniendas Definitiones aliorum omnium Generum, quæ ēt Media sunt. Nā si quæratur, quæ sit Definitio Lineæ, hæc primum est diuidenda in Species postremas, hæ sunt, Linea Rotunda, Recta, & Curua, post quæquè ex his explicari Definitione debet, quæ communia cuiquè Definitioni harum sunt, inter se iungenda, & Genus supremum cum his copulandum; ità Definitio Lineæ inuenta erit. Igitur afferantur Definitiones Specierum. Quid est Linea recta? est Longitudo absq; Latitudine, cuius Media inter extrema æquè iacent. Rotunda est Longitudo absquè Latitudine, ad quam omnes Lineæ

rectè

rectè ducta à Centro, quod est intra ipsam ad ad Circunferentiā sunt æquales. Linea curua est Longitudo, sine Latitudine, quæ constat ex rotunda atquè recta. Perspicimus itaquè in singulis his Speciebus, illud commune omnibus esse, quòd quæquè ipsarum sit Longitudo, sine Latitudine. Istud ergo si sumptum sit, & coniungatur cum Genere summo reddet Definitionem Lineæ, quam inquirimus perfectam. Genus summum, sub quo subijcitur Linea, est Quantitas, vnde ea Lineæ Definitio integra habenda erit, quæ est Quantitas longa absquè Latitudine. Nec est dubitandum quin Methodus ista, qua ab Aristotele docemur, ita inuestigare has Definitiones Generum, sit Analytica; nam id fermè ex re ipsa cognosci potest. Etenim ab ijs, quæ postremò genita sunt à Natura, reuertimur, ad inquirenda, quæ primo ab illa procreantur. Primo autem ipsa creat Initia generalia in re, post alia, atquè alia, quæ reddunt Naturam Rei magis particularem, & quisq; Intelligere potest hanc Viam certè, & absque vllo errore, nobis subijcere Naturam Generum. Nam vt Aristoteles recte nos admonet, simplex Essentia, Specierum, quæ Definitione exponitur,

è xponitur, est causa eorum omnium, quæ in Generibus insunt: nisi enim, Species à nobis Mentè tenerentur. nulla Notio Generis cogitatione percipi valeret; ex his enim tota extrahitur, & ab his verè nobis est suppeditata. Natura enim, quæ communis est multis Speciebus, ea tota est Generis, magnumq; ingenij Lumē in Aristotele fuisse opinandum est; quòd ista viderit, & magnum etiam optimarum Doctrinarum studium exercitationemq;, quòd hæc monumētis suis præclarè conscripta nobis reliquerit. Is idē ostendit Viam diuidendi ad Definitiones afferre, vt Prædicata quæ explanant quid Res sit, ordine narrentur, & omnia colligantur, nec vllum omittatur, quæ à Magistro didicit, à quo sūmo studio hanc Methodū scriptis suis concelebratam fuisse videmus. Vnde si ea Prædicata tantum sumātur, quæ explanant quid res sit, & quodq; suo loco disponatur, nec vllum omittatur, quis non videt Definitionem rei perfectè explanatam esse? Sed ista omnia hac mea Disputatione iam planè mihi declarasse videor. Nā & Secundo Libro, et Paulo antè à me de his disputatū est. Etenim Prædicata, quæ ad Essentiam rei pertinent, ab alijs distinguuntur quòd omnia sunt ducta ex

O Genere,

Genere, et differentia rei; verum autem Genus Rei, et vera Differentia ex locis traditis perfectè cognoscuntur ex ordine illa disponi in Difinitione percipitur, cum ea quæ latiora sunt supra alia collocãtur; hæc eadem ea rè quoquè ab alijs distingui possunt, quod ipsa non consequuntur alia, sed alia his & item cum perspicimus Genus prima Differetia distinctum esse, quod nos supra diligẽter exposuimus: Nihil prætermissum fuisse declarat extrema Differentia, quæ propriè est Forma rei, infra quam nulla alia reliqua apparet, quæ in rè insita sit. Atquè hoc quidem modo ad ista omnia vtilis est hæc Methodus, nec alia vlla in istis, nos restè instruere valeat: ob eam autem rem non omnino approbatur; quoniam Genus Rei statim tractat, quod varias, & multiplices Differentias in se inclusas tenet, quas ex ipso distinctè extrahere non est mediocris Ingenij. A Notitia enim nostra lõge distat ob quod non possunt eius Differentiæ nisi ab ijs percipi, qui exercitati in Scientijs & Doctrinis sunt, facilcq; est in ha decipi quod quidem non euenit ijs, qui Methodo Analytica, Definitionem inquirunt. Nihil enim in his errare aliquis potest, si primum res singulares diligenter

te, introspiciat: etenim facile ipsi ostendetur an aliqua Natura communis in has diuisa sit, indicabitq́; istam esse Essentiam speciei sub qua illæ res sunt subiectæ. Quòd si nihil reperiatur tale, quod in omnibus communiter appareat, iudicādum est Vocem illam esse ambiguam nec declarare Speciem aliquam, & ita frustra quæritur vlla eius Definitio quæ rem declaret, istud idem similiter contingit & in genere. Nam si proposita sit Vox, quæ multas Species ostendere videatur, spectādum separatè in hac & in illa, atquè illa Specie an aliqua Essentia communis omnibus in ipsis inhæreat. si ita sit & hæc communis Essentia declaretur ab ea Voce, nō est dubitandum, quin hæc sit Nomē Generis, intelligimusq́; Definitionem Generis esse communitatem illam Naturæ, quæ in his Speciebus cernitur, & hæc Cognitio est multo magis certior, quàm ea quæ datur nobis à Methodo diuidendi, cum Genus distinguimus suis Differentijs, Nam re ipsa, & Actu oīa percipiūtur à nobis, & itē certè cognoscimus Vocē illam esse Vocē ambiguā, nec posse habere Definitionē verā, si nō appareat vna, eademquè Natura, quæ sit communis diuersis Speciebus. Verbi gratia si occurrat Vox ista Magni

tudo animi, & quis velit reddere Definitionem eius, quæ Essentiam declaret; is, si hac Via de qua nunc præcipimus, hanc inuestigare conetur facilè cognoscet, Vocem hanc esse ambiguam, nec vna Defintione posse declarari, quæ ab ea significantur. Itaquè primum percurrantur, qui magno Animo fuerunt, & perquiratur an quid cõmune his omnibus sit, ex numero horum fuit Aiax, Alcibiades, & Achiles: in his omnibus Magninimitas ostensa est, ex eo quòd nullus ex istis potuit æquo animo ferre iniurias. Vnde istud commune his omnibus fuit. Socrates item, & Lysander habiti sunt magno Animo, quoniã res aduersas, & prosperas pariter tolerarunt. Itaquè in illis apparuit Intollerantia Iniuriarum, in istis verò Æquabilitas Animi in quaquè Fortuna. sed ista non habent aliquid commune quod sit vnum, & idem; quinimo tota Natura inter se discrepant. Nam Intolerantia Cõtumeliæ ab Ira nascitur, quod est mediocre Vitium. Æquabilitas Animi est summa Laus, ex quo perspicitur Magnitudinem Animi non esse vnum Genus, sed duo distincta inter se. Vnde Vox ista nunquam poterit rectè vna Definitione explanari; quod in quauis Materia rerum

expo-

exponenda, diligenter animaduerti debet. Nisi enim rectè explicata sint, quæ ad prænotiones attinent, quisquè, cognoscere potest omnem Disputationem, vel scriptionem, quæ istis stabilienda est, corruere. Verum, qui istis Doctrinis, de quibus in his Libris desserimus, accuratè instituti sunt, hæc omnia egregiè notũt, & ita nihil vnquam confusè declarãt; quod secus de ijs est, qui has non attigerunt: nanquè istos videre licet in multis decipi, & ea sæpe scriptis tradere, quæ nullitas rei firmam, stabilemq; Sientiã dãt. Sed iam finis huic Labori imponendus est; omnes enim Demonstrationum Prænotiones traditæ sunt; nam de ijs quæ Communes Animi Notiones appellantur, disputatum est. Ostendimus et quomodo reperire liceat quid res sit, & an sit, quæ sunt vera Initia Demonstrationum. De Petitionibus verò atquè alijs quæ Demonstratione aliqua declarari possunt, patet nihil à nobis hic esse narrãdum; nam Demonstratio aliqua ipsa, nota facit: nec in istis opus est alia Prænotione. Ita cum nihil prætermissum sit, quod Demonstrationum Prænotiones vel Principia attingat, meritò iã totius huius Disputationis finẽ faciã, si breuiter quædam adhuc à me tacta fuerint,

quæ notum reddent, quatuor tātum esse in istas Methodos, quæ ad quanquè quæstionē explanādam pertinent; nec alias excogitari posse, quæ aliquid valeant ad id. Ostendam etiam quid Dignitatis, ac Præstantiæ quæque in se habeat, & quo altera alteri aut excelat aut inferior illa sit.

CAPVT XI.

¶ Docet non posse inueniri alias Methodos, quæ ad Scientias tradendas aliquid valeant, nisi quatuor illas de quibus disputatum ab ipso fuit, post ostendit quæ nā primum gradum in eis teneat, & aliqua de hac re differit.

ITAQVE cum iam nimis multa fermè de singulis istis Methodis sint à me disputata, faciendum nunc est, vt breuissimè ea commemorem, quæ adhuc reliqua esse videntur. Cum igitur iam perspicuum factum sit quænam istæ sint, & quid quaquè ipsarum prosit ad scientias acquirendas; in præsenti ostendendum est, non posse alias reperiri, quæ vtilitatis fructum aliquē, Sciētijs præbeant. Namquè omnis Quæstio, quæ in ipsis tractatur, aut pertinet ad Essentiā Rei, aut ad ea, quæ ex ipsa sunt profecta, nec aliquid aliud excogitare licet quod Qustione aliqua inquiri valeat, atquè Scientia quidem Essentiæ Rei à

Metho-

Methodo definiendi nobis est tradita. Ipsa enim per se hanc dat: quæ autem nascuntur ab Essentia Rei explanantur Methodo demonstrandi; nanquè sicuti sæpe iam expositum est, hæc Methodus, sumpta Definitione pro Medio, Cognitionem eorum affert qui in rebus per se insita esse perspicimus, & Cognitio hæc est talis, vt Mens nostra ab illa satiata in ipsa requiescat. Nequè enim relinquitur aliquid, de quo planè ipsa inquirere, scireq́; aut valeat, aut optet, & ita ambè ista Methodi quãquè rei Scientiam omninò complectuntur. Vnde quod, attinet ad Scientiã cuiusq́; rei explanandam, hæ hanc explicare possunt; nanquè quamquè partem ipsarum diligenter declarant: sed accidit, vt Definiendi Methodus per se ipsã opus suũ tractare nõ valeat. Etenim nisi præstò ipsis sit Materia rerum, quã accommodet ad Definitiones formandas nullã ipsarum Definitionem explicare potest, ob hanc causam inuentæ sunt duæ aliæ, quæ se illi Ministras ac Famulas in hac re perficienda præbent idest cum Analytica, tum Methodus diuidendi, atquè istæ inquirunt & ipsi subministrant omnem Materiam, ex qua Definitio cuiusq́; rei ab illa efficitur, ipsaquè tanquam Domina, ac Ma-

gistra rudem Materiam quæ ab istis sibi est suppeditata, diligēter cōformat, & applicat ad partes rei, ac perspicuè ipsas declarat. Cum autem Species illæ quæ sunt postremæ in summa Cathegoria rerum, & item illæ quæ sunt Mediæ solū Definitione explicari possint; patet duas Vias tantum nobis datas esse ad perquirendam Materiam, ex qua Definitiones harum conficere licet, nec aliquam aliam quisquam studiosorum sibi confingere potest quæ ad istam nos deducat. Nam cum Definitio sit Prædicatum, quod planè, ac dilucidè declarat totam Naturam rei cō stat non posse ipsam effici nisi, ex iis, quæ dicuntur de ipsa Natura rei, & in ea insunt necessariò: ista autem continentur in illis, quæ sunt supra Species eas, nam aliter Prædicata ipsarum esse nō valent: quæ enim in vna aliqua de aliis decem Cathegoriis inclusa sunt, verè dici de his non Possunt. Itaquè apparet istas duas Vias tantum ad inueniendam hanc rerum Materia nobis patere, idest tum eam, quā a superis imus ad infera quæ est Via diuidendi, tamen alteram, qua ab inferis ascēdimus ad supera quæ Analyticam Viam esse supra ostensum est. Fit ergo ex his, vt duæ tantū sint Methodi, quæ primæ sunt,

&

& vbiquè à studiosis ad Scientias declarandas applicantur, idest tum Definiendi Methodus, tũ demonstrandi, due verò aliæ sint harum Famulæ atquè alias reperiri non posse quisquè pro certò habeat; nanquè primo quidem istæ per se satis instructæ paratæq; sunt ad omnes Artes, ac Scientias tradendas, nec desiderari aliæ vllæ possunt, quæ necessariæ ad id sint; essetquæ imprudentis in illis quærendis laborare, quæ inueniri nõ possunt, aut si inuentæ sint nullam Vtilitatis Vbertatem præbeant. Ex istis autem, quæ ita sunt declarata, aliquis iudicare facilè posset. Definiendi Methodum summum Dignitatis Gradũ in illis tenere, nanquè vi sua alias omnes sustinet, atquè si ipsa sit ablata, cæteras corruere est necesse, idquè planè iam sæpè fuit expositum; nihilominus demonstrandi Doctrina præclara quidem est, & vsum habet magis amplum quã illa: omnis enim scientia, hanc accommodat ad Res explanandas, et absquè hac quæquè ipsarũ nullum Cognitionis suæ Fructũ præbere potest; actu enim rei notitia per ipsam capitur; quæ aliter percipi non posset. Itaquè summa vtilitas ab hac proficiscitur, atquè quod attinẽt ad vsum, hæc superat Methodum Definiẽdi: quòd si Cogni-

tio principiorum, ob se ipsam neque expetenda neque quærenda est, sed ob alia quæ ab eis nascuntur, patet id quoque verum omninò esse, ac profecto Demonstrãdi, Doctrina ea res Difinitionem superat, quòd vtilitas eius latius est dissaminata quam se se dilatare valeret Definitio. Atquè ad multo plures res est diffusa quam ipsa Definitio; ad ea enim omnia pertinet, quæ Sciẽtijs explicantur; inferior tamen ipsa est iudicanda, quia firmamentum omne & Robursũũ à Definitione habet, nec aut stare, aut aliquid esse potest nisi vi huius sustentata sit.

FRAN-

FRANCISCI TERRILII

DE METHODO SCIENTIARVM, ATQVE ARTIVM, LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

¶ Ostendit ad quanquè Artem, atquè Scientiam tractandam necesse esse quendam Habitum tenere, de quo adhuc nihil ab ipso dictum fuit, & ait ob hanc causam à se scriptum esse hunc Librum, vt de hoc accuratè disputaret, & totam vim eius notam cuiuis faceret.

QVAE de tota ratione Methodi collecta à nobis sunt, in superioribus Libris cuiuis notum faciunt, quæ & qualis tota Methodus, sit & quas partes omnino habeat, atquè quod munus quoquè ex ipsis suscipiant: verũ ex his distinctè intelligi non potest quis vsus cuiusquè ipsarum in singulis Artibus, & Scientijs Propriè sit. Cum enim Artes omnes sint inter se se distinctæ & varias res tractent, & item. Sciẽtia quæquè habeat sibi Materiam propriam, quam explanat, perspicuum est non posse istas omnes eadem Forma

ma declarandi explicari, ex quo fit, vt aa alias apta sit Methodus Analytica, ad alias Methodus Definiendi, in alijs valeat Demonstrandi Methodus, in alijs Argumentandi Forma, & accidit, vt ad eandẽmet Scientiam sæpe applicemus vnam, atquè aliam Methodum nam fermè quæquè ex ipsis multiplices partes in se cõtinet, & vna quæquè pars propriam sibi quãdam Formam desiderat, qua aptè Natura rei, quæ ibi tractatur, exponi valeat. Vnde clarè perspicere licet non satis esse ad Artes, atquè Scientias tradendas in ijs Methodis dequibus disputauimus instructos esse, sed alia quædã siue Doctrina, siue Methodus in nobis sit oportet, qua iudicare possimus quæ nam ex illis, quas narrauimus ad quanquè rem exponendam propriè accommodari posit, nec alia vlla. Exempli gratia si propositũ sit tradere, Scientiam Animæ, ex illis quæ declarata sunt, nemo iudicium facere potest, qua Methodo aliquid de ipsa sit disputandum; tamẽ id cognitum à quouis esse debet, antequam quid de ipsa d fferatur. Nam esset non mediocris imprudentiæ aliquam rem explanandam suscipere, nec prius perspectum Mente habere qua Forma ipsa explanari rectè, & perspicuè posset: sequeretur

quereretur enim necessariò vt nihil ex ordine ali quis declararet; sed confusè omnia explanarentur. Istud videns Aristoteles, in Primo de Partibus Animalium, statim in initio ait in quaquè Arte & Scientia, qualiscunq; ipsa sit, idest siue ex numero illarum, quæ rem aliquã præclaram docent siue ex illis quæ ignobiles sunt, duplicem habitũ, reperiri: vnũ qui est rei Cognitio, alterũ verò qui est quasi Pædia quædam, vel puerilis quædam Institutio, & hac voce, vt Paulò postẽ perspicuũ fiet, intelligit Rationẽ, ac formã, qua ipsa Rei Cognitio est declaranda, & dicit istos Habitus esse inter se diuersos. Nam aliud est tenere Notitiam Rei, aliud verò cognito habere qua Forma docendi ipsa sit patefacienda. atquè vt permaneamus in exẽplo allato de Sciẽtia animæ antequã aliqd de ipsa Aristoteles traderet, Mẽte sua diligẽter inquisiuit, quo ordine singula, quæ ad ipsam pertinent rectè exprimi possẽt & à quonã præcipuè initium docendi sumeret, hoc est secum accuratè cogitauit de Methodo, qua totã eã, Scientiã explicare posset, tandem cognouit Vir qui & præstantia Ingenij, & singulari quadã Prudentia excellebat Methodũ Definiendi esse accomodatã ad id præstãdũ Ex quo

primum

Primum ponere constituit Definitionem Animæ. Cũ verò duplex Via ipsi occurreret, quæ ad eã inueniendãt illum ducere poterat, idest Via Analytica, & via, qua Genus diuiditur in Species; accuratè prius inuestigauit quæ nã ex illis duabus ad ipsam perquiredã plus adiuuaret. Ad extremum verò statuit Methodũ illã qua genus diuiditur in Species, esse magis aptã ad istud, quã Analytica, & ob hoc istã adhibet ibi ad quærendã Essentiam Animæ; cũ enim Anima sit ex Genere Substantiæ diuidit totũ Genus in Materiã atquè Formã, atquè ita vult cognosci ex hac diuisione Animã & Formã. Cũ enim constet, ipsã nõ posse dici Materiã sequitur, vt sit Forma; inuentoq; Genere, quod est pars ipsius Definitionis de alijs etiã partibus cõquirit, quæ ipsã Definitionẽ conficiunt, Itaquè percipitur ex his, Aristotelẽ antequam aliquam partem eius, Scientiæ explanaret, habuisse impressum in mente sua habitum quendam, quo noscebat totam Scientiam illam, non posse rectè declarari, nisi Initium, totius explicationis, sumptum esset à Definitione, & Definitio fuisset inuenta Methodo Diuidendi; patetquè hunc esse distinctum à Scientia; etenim disci potest, & haberi per-se

se absque vlla perceptione, Scientiæ, & ex hoc etiam intelligimus hunc Habitũ differre à quaque ex illis Methodis, quæ tractatæ sunt à nobis in superioribus Libris, neque enim vllum Nomen alicuius ex ipsis in eum rectè conuenit. Etenim neque Analytica, aut Diuidendi Methodus, neque Demonstrandi Doctrina rectè appellari valet; & notum etiam est, nihil distinctè à nobis de isto explicatum adhuc esse. Vnde DEO OP. MAX. adiuuante declarabimus, qualis iste sit, & quomodo in eius notitiam quisque nostrum peruenire possit.

CAPVT II.

¶ Docet in primis summè vtile esse hunc Habitum, de quo in hoc Libro inquirit, deinde Ostendit Aristotelem locutum esse de ipso in Primo Libro de Partibus Animalium in Initio; ac postremò declarat hunc Habitum esse quid Medium inter nos, & cognitiones rerum, quas inquirimus.

EX Re autem ipsa percipitur istud, quod nunc docere aggredimur, summo studio conquirendum esse. Nisi enim hoc diligẽter declaratum fuerit, patet omnem Laborem, quæ in tradendis Methodis consumpsimus, inanem fuisse, neque enim ad aliquid vtilis fermè cognitio ipsarum esset potest,

nisi

nisi exquisitè postmodum quisquè cognitum habeat, quomodo illis vtatur, & in quibus explanandis quæquè ex ipsis locum habeat: ob hanc causam Aristoteles in Primo de Partibus Animalium multa de hoc Habitu accuratè disputat, & docet non posse vllam Scientiam, aut Artem ab aliquo rectè explanari, nisi is sit diligenter institutus in hoc, et in tota, Scientia aut explananda, aut assequenda tanquam regulam quandam hunc sibi proponat, à quo intelligentia ipsius ad eam semper recte dirigatur. Sunt enim isti duo Habitus, idest Rei Cognitio, & Modus quo ipsa percipitur, adeò inter se se nexi & copulati, vt nullo pacto alter ab altero possit rectè seperari; nec vlla aut rei Scientia, aut Ars siue excellentem quandam rerum Materiã doceat, siue minus excellentẽ reperiri potest, quæ ex his duobus Habitibus non constet, aut quam percipere, vel explanare aliquis omninò valeat nisi ambos hos Habitus de ipsa pertractatos, & cognitos habeat: cuius rei causam, si quis diligẽter exquirat facilè cognoscet Intelligentiam nostram sic comparatam esse, vt se ipsam per se in rei fermè alicuius cognitionem insinuare non valeat; sunt enim abscondita, et in intima obscu

ritate

ritatæ inuolutæ Rerum Notitiæ, & Mens nostra siue Intelligentia corpore impeditur, ne ipsas inuolutas euoluere & ex illis Tenebris eruere possit. Ex quo aliquod Medium sit oportet, quod ipsi tutam Viam muniat ad id efficiendum, & id Medium est Habitus iste, de quo hæc omnis Disputatio à nobis suscepta fuit; ipse enim recta quadam via Rationem nostram ad Artem, aut Scientiam aliquam perdiscendam dirigit, nec in ea percipienda nos errare patitur. De hoc igitur diligẽter perquiremus, quis nam ipse sit, et ex quibus partibus constet, nec aliquid à nobis permittetur quod ad eius notitiam patefaciendam, valere existimabimus.

CAPVT III.

¶ Ait se coactum esse afferre aliquas rationes, quibus notum faciat, hunc Habitum à nobis acquiri posse, & reperiri in quaquè cognitione Rei; quoniam Philosophiæ studiosi, dubitant adhuc, an is aliquid sit. post dicit Aristotelem appellare hunc Habitum quasi puerilem quandam institutionem, & explanat distinctè, cur ità ab ipso sit vocatus, & multa copiosè de hac re differit.

PRIVS tamen breuiter ostendendum est, an is Habitus aliquid sit, & re ipsa ab Animis nostris haberi possit; sunt enim, qui hunc dicant esse rem

quandam inanem, et temerè confictam, de qua præcepta tradi non possunt; existimantq́; Aristotelem in Primo Libro de Partibus Animalium obscura quædam de hoc locutum esse, quæ nullo modo percipi possunt. Ob hanc causam nemo nos inscitiæ merito dānare poterit, si quædam de hac re disseremus; nanque inscientis esset aliquid de hoc Habitu explicare, nisi prius cuiuis notum esset, eum in Animis nostris posse existere. Ac certè ij, qui Aristotelem improbant, decipiuntur; nihil enim obscurè de hoc scriptum nobis reliquit. Sed quæ nostra est inscitia, ea quæ notissima sunt, frequenter, pro incognitis habemus. Ipse scribit apertum esse, duos Habitus reperiri in quaquè Arte, et Scientia; vnus quidem est ipsa Rei cognitio, de qua in tota Arte inquiritur, alter est Habitus iudicandi, an ipsa Rei cognitio, rectè inquiratur, aut tradatur. Ex quo si apertum est, & notum per se, istos duos Habitus extare in quaquè Rei cognitione, turpe erit, eum qui vel mediocriter exercitatus est in Artibus, & Scientijs & in ipsa Philosophia, quidquam de hoc dubitare: nanquè nota sunt, quisquè pro notis, quæ verò dubia pro dubijs habere debet. At verò notum

est, quæ traduntur in Philosophia, Ordine, & certa Methodo explicari. ex quo notum est, hunc Habitum extare. Itaque qui percipit hunc Ordinem, & tenet Methodum; qua hæc pars Philosophiæ v. g. ipsa Physica tradi potest, is habet Habitum iudicandi de illa Parte, an recte explanata sit, nec ne. & istud idem euenit cuique aliæ Parti Philosophiæ, & cuique Arti, ac Scientiæ; nam quæque propria Methodo exponitur, quam qui cognitam habet, tenet Habitum iudicandi de ipsa, ac sicuti effici non potest, vt extet Ars vlla, aut Scientia, quæ Ordine quodam, & Via certa non sit exposita, ità reperiri non potest Ars aut Scientia, quæ istum Habitum in se non contineat; nam cognitio huius Ordinis, aut Methodi, nominatur Habitus; *quoniam est infixa in Animis nostris, et est firma, atque stabilis cognitio. Ex quo perspici potest, prudenter ab Aristotele factum esse, qui in Primo Libro de Partibus Animalium, ponit id (sicuti factum fuit) tanquam notum. Vnde aliud quid à nobis hoc loco de hac re non dicetur, sed erit constitutũ in præsenti pro re nõ dubia, hunc extare posse in Animis nostris, nec de hoc accuratiore aliqua*

alia inquisitione præterea quæremus: atque potius cum constet Rem esse, de Nomine ipsius inuestigandum diligenter est; etenim notitia huius accuratè perspecta, qualis sit totus Habitus, aperiet. Aristoteles in Primo illo Libro de Partibus Animalium (quem Locum cogor sæpe proferre; quoniam ex ipso à me deprompta est tota materia Rerum, de qua hic scribo,) vocat Hunc habitum tanquam Institutionem, vel Instructionem quandam puerilem; græce enim scriptum est οἷον παιδείαν τινα, Atquè vt tota Nominis Ratio diligenter sit cognita, intelligendum est παιπέδευσθαι græcè, latinè propriè significare, esse instructum Disciplinis illis, quæ declarant Rationem Sermonis, παιδεία est Instructio illa. Atquè (vt planè mihi perspicere videor) per similitudinem quandam, ab hoc Aristoteles transfert has voces, ad declarandum hunc Habitum; nanquè vt Pueri primum in Ratione Sermonis erudiuntur, deindè hac cognita, apti sunt ad Res percipiendas, ità quisquè in hoc Habitu institui debet, antequam aliquid discat, quod ad rem, quæ tractatur, pertineat. Et quemadmodum illi, qui sunt informati recta ratione

loquendi,

loquendi, possunt iudicium facere de Sermone ipso, num rectè habeatur ab aliquo nec ne, etiam si non attendat an quid verè dicatur aut non verè, ità hoc idem accidit in hoc Habitu; nam qui hunc tenet, is iudicat de Arte, aut de Scientia, aut de Quæstione aliqua rectè ne tractetur, aut non rectè, nec animaduertere potest, an verè quid, aut non verè sit explanatum. Sapienter igitur Aristoteles, hunc Habitum vocat tanquam Institutionem puerilem, non autem Institutionem puerilem omninò; quoniam hæc Vox propriè accommodanda est ad Pueros, qui informantur in Sermone, & propriè παιδεία *hanc Instructionem designat: sed (vt dixi) per similitudinem ab hac translatum, est istud Vocabulum ad hunc Habitum; nam hoc Habitu prius institui debet aliquis, quàm quid audiat de Re quæ tractatur, non aliter atquè si esset Puer; habet enim similitudinem Pueri, quisquis est rudis in Scientia aliqua aut Arte. Id autem ob eam rem effici debet, quoniam nemo potest perdiscere Scientiam, aut Artem, aut aliquid aliud, & simul etiam Modum, quo illud rectè est percipiendum, aut tradendum:*

dendum ; nihil enim perspicuè hoc pacto declarari potest, sed confusè omnia tradita essent, et obscurè . Adiecit autẽ dictionem aliam; idest quandam ; *nam ait hunc Habitum esse* tanquam puerilem quandam Institutionem ; *quoniam multæ sunt Institutiones , quibus Pueri informari solent . Etenim erudiuntur in Studijs Literarum , ad rectam rationem loquendi, & item præceptis Artis Rhetoricæ , ad Eloquentiam ipsam , & alijs etiam eruditionibus imbuuntur ; & qui eruditi sunt Præceptis Literarum , iudicant de Sermone aliquo , rectus ne sit , aut non rectus ; etenim iudicium faciunt , an quis latinè loquatur , aut non loquatur latinè de Re autem ipsa , quæ Sermoni subest (quod ad hũc Habitũ attinet) nihil iudicãt. Similiter qui est instructus p̃ceptis Rhetorices, cognoscit an aliqua Oratio sit rectè facta, aut non rectè, idest an cõtineat in se partes oẽs, ex quibus cõstare debet, aut aliqua ipsi desit, & an ex ordine dispositæ sint, aut non sint dispositæ : ignarus autem est , an verè , aut non verè dicantur, quæ ipsa comprehensa sunt . Ob istud igitur, dictum ab ipso est , hunc Habitum esse tanquam aliquam, ex illis Eruditionibus, quibus*

bus Pueri institui soleni. Et verè ità est, nec verbum vllum excogitari poterat, quod magis aptè notum faceret, qualis iste habitus esset, quàm est istud. Nec enim is Habitus aliud est, quàm Instructio quædam ad Artem aliquam, aut Scientiam, vel percipiēdam, vel explanandam, similis illis Eruditionibus, quibus Pueri informari solent. Etenim ex hoc Habitu, solum intelligimus aliquam Artem vel Scientiam esse explanandam, aut discendam hoc modo, vel hac Methodo, nec in alia re vlla instruimur ab hoc habitu ad ipsas Artes. Vndè, ipso sunt informati, solum iudicare possunt de Arte, vel Scientia, an rectè tradatur; aut non rectè; idest ad ea Methodo, quæ sibi propria est, sit declarata, aut non sit declarata, aut quemadmōdum euenit, vt vnus Puer sit institutus multis Eruditionibus, alter vna tantum, aliquis alius in omnibus, ijs, quibus ipsi instrui solent, sic istud quoquè fit in hoc Habitu Namquè euenire potest, vt vnus sit institutus in Habitu huius, Scientiæ, & illius, & alter solam in habitu vnius: alter verò, Habitus omnes tenebit, quibus quæquè Ars & Scientia, sigillatim est tradenda. Et

ille, qui est eruditus in vna tantum poterit iudicare de ea solum: qui est instructus in multis, de his iudicium faciet: qui ad omne est eruditus, de omnibus iudicabit. Et istud ab Aristotele tactum fuit in illo Libro in initio; nam inquit proprium munus eius esse, qui est eruditus, hoc est qui non est rudis omnino, sed iam est instructus in omnibus Artibus ac Scientijs, iudicare quid rectè, aut non rectè afferatur, aut explanetur ab aliquo in Scientia vlla, aut Arte. Nanquè esse instructum, aut esse eruditum, vel non esse præterea rudem, istud omninò declarat, quod posse iudicium afferre non de re ipsa verè ne, an non verè explanetur, sed rectè ne, an non rectè tantum explanata sit; per multum enim ista inter se differunt: nã si quis in hoc eruditus est, vt sciat hanc Scientiam, verbi gratia eam quæ tractat Naturam Cœli esse exponendã hoc ordine, et oẽs partes eius ita esse disponendas, nec aliter, & rationes debere assumi ex hoc loco, et non ex alio, is nõ est rudis omninò in hac Scientia sed põt diiudicare quæ rectè de ipsa tradita sunt, et quæ nõ rectè; nam si explanata sint congruẽter, suæ Eruditioni, rectè tradũtur; sin aliter nõ rectè: tamen de Re-

bus

bus nihil cognoscit; nam solũ põt facere iudiciũ de hoc, in quo est institutus, & iste habitus præparat eum ad intelligendã Rei Naturam, quæ illa Scientia cõprehensa est. Quod si is oĩbus Institutionibus informatus sit, quæ valent ad oẽs Sciẽtias erit eruditus omnino; idest omnes Sciẽtias et Artes, & est, vt Aristoteles scribit ὅλως πεπαιδευμένος*; idest eruditus omninò, vel ad oẽs Scientias; nam exiuit (vt ita dicã) Ruditatẽ; hoc est non est rudis in oĩbus Sciẽtijs, veluti erat. Et hoc idẽ ipsi accidit, si de vna tantũ Re, vel de vna Quæstione, aut Arte, vel* περί τινος φύσεως *vti refert Aristoteles, hoc est* de vna natura rei sit eruditus, *nam de hac sola iudicat, an rectè de ipsa disputetur. Ex quibus omnibus percipimus, quæ Notio propriè subsit, sub hoc Habitu, et denique quã vim ipse habeat. Estq; ẽt ex istis perspicuum, quantũ necessarius sit, ad quanquè Artem, aut Scientiam; nam vt per sistamus in Exemplo de Puero, quæmadmodum Pueri (nisi egregiè informati sint Eruditione il la puerili) non possunt, nequè de Sermone aliquo iudicare, an rectius sit nec ne, nequè ipsi rectè Sermone vti valent, sed rudes in eo, & ignari sunt, sic etiam nobis euenit, in quaquè*

cogni

cognitione Rei de qua perquirimus; nam si antequam aliquam Scientiam discere incipiamus in id operam damus, vt ad ipsam rectè instruamur, facilis est Labor, ipsam discere, nec aliquo pacto in ea perdiscenda falli poterimus: quod si rudes, & ab hoc Habitu nudi, de ijs statim quærere aggrediamur, quæ in ea tractantur, haud multò post sentimus frustrà à nobis in ea operam poni, suntq; partes eius, qui verè Doctor alicuius Artis, aut Scientiæ haberi vult, vt ipse ad Regulam huius Habitus omnia explanet, dirigat, atquæ disponat, quæ ad Scientiam illam pertinent, & instruat eos, qui opera illius in hac vtuntur, in hoc Habitu, antequam de Re alia vlla, ipsos doceat, & qui scriptis aliquam Explanationem Rei alicuius tradunt, in Proemio instruere debent illos, qui Scripta illa legunt ad Rem quæ tractatur, intelligendam; ob hoc enim Initia Explanationũ, atquè Tractationum Proemia nominata sunt; quòd viam nobis muniant, ad percipiendam Rerum Naturam, quæ ibi traditur. & hoc nihil aliud est, quàm vt erudiant nos et instituãt Habitu illo, quo propriè percipi, & tractari debet, Natura Rei, quæ, proposita est. Ex his igitur

igitur sic expositis, perspici potest, hunc Habitum esse Instructionem, & Eruditionem, ad Artes, atquè Scientias; nam rudes nos erudit ad eas, & aptos reddit ad illas tractandas. Ob hoc nominari potest Habitus declarandi & tractandi Scientias, & Habitus ipsas percipiendi & iudicandi de ipsis.

CAPVT IIII.

¶ Scribit hunc Habitum habere duas partes, ex quibus constat; nanquè totus positus est in notitia cuiusquè Methodi, & in notitia eorum, quæ in quaquè Scientia, & Arte, & in quauis alia Explanatione ante noscenda sunt, quàm Rei Scientia, aut cognitio exponatur, & id totum confirmat Exemplis ex Aristotele sumptis, & alijs quibusdam rationibus, quæ rem istam ante oculos præclarè ponunt.

SED IAM rem totam in apertum proferamus, atquè explicemus quas partes is habitus in se contineat, & quomodò acquiri à nobis possit. Ac planè est perspicuum, ex duplici Institutione ipsum constare: atquè vna quidem est illa, quæ nobis tradita fuit in Superioribus Libris de singulis Methodis; nisi enim quis eas cognitas habeat, non potest hunc Habitum assequi, nec vnquam de aliqua Scientia iudicabit, an rectè expla-

explanetur, nec nè; etenim oportet, vt quæquè materia Rerum, aliqua ex illis Methodis sit exposita. Vnde necesse est, singulas Mente diligenter cōprehēsas habere, ita quòd quæquè ex ipsis illi statim occurrat in quaquè Re, de qua iudicium faciendū est. Sed præter hāc Institutionē, ea ēt nota sint oportet, quæ in ea Arte, vel Sciētia prænoscēda sunt; ex Notione.n.horum, inuenitur quænam Methodus ad ipsam sit apta. Ex quo, si quis erudiatur in notione Rei, vel Materiæ subiectæ, quæ tractatur in tota Scientia, & in prænotione Proprietatum, quæ insitæ sunt in Natura Rei subiectæ, is magna ex parte iā hoc Habitu instructus erit; nam cognitio Rei subiectæ, & Instructio in Methodis, facit totū hunc Habitū, et eum creat in Animis nostris. Atquè ista verè à me dici ex eo apparet, quòd oīa mirabiliter inter se se consentiūt; nam Prænotio Nominis Rei subiectæ, et prænotiones Proprietatū sunt habendæ, antequā Scientia de Natura ipsorū tradatur, aut teneatur. atquè is habitus similiter est imprimēdus in eo, qui ipsam Scientiā Rei acquirere cupit, antequā quid aliud de ipsa accipiat. Et cum ista sunt cognita, atquè tota Mente de his cogitamus, gignitur in nobis Indi-

Iudiciũ de Re ipsa, et iudicamus quæ rectè tradita sunt, et quæ nõ rectè. Ex quo si quis attendat Notionem Rei, quæ inquiritur aliqua Quæstione, statim ex ipsa Notione, se se ipsi offert, qua Via, & qua Methodo, ipsa tradi rectè poßit, & iudicabit num rectè aliqui de ea loquantur, aut scribant. Nec ista nunc ex mea opinione profero, sed omnia ex ipso Aristotele hausi atque didici, nam is mihi videtur hanc Regulam sibi proponere, in iudicandis illis, quæ scripta sunt à Veteribus de Natura Animalium. Etenim ex Primo de Partibus Animalium, huius rei documentum capere licèt; ex sola enim notione Animalium, & eorum quæ in ipsis naturaliter inesse apparent, iudicat nihil rectè traditum fuisse à Veteribus de ipsis. Ac si quis præter istud, rationem aliquã requirat, quæ id sic esse testificetur, huius totius rei causam illam explicare licèt, quòd Iudicium omninò fundantur Cognitione, ac nisi quis habeat aliquam cognitionem de Re non potest de ipsa iudicare: antequam autem Rei Scientia capiatur, nihil de Re ipsa cognosci potest, nisi ea, quæ prænoscuntur. Ista autem pertinent ad Materiã subiectam, et ad partes

tes

tes eius, et ad ea, quæ in ipsa inhærent. Ex quo, Iudicium quod fit de Re, nulla alia cognitione dirigi potest, quam prænotione horum; nihil enim aliud extat in Scientia quod possit gignere habitum distinctũ ab ipsa; nisi ista. Vnde totus iste Habitus iudicandi, cõstabit notitia Rei subiectæ, & Proprietatum eius, atquè cognitione cuiusq; Methodi, nec aliud quid requiri potest ab aliquo in hoc Habitu. Ex quo is qui est instructus in his, iudicium faciet de Re, etiam si alioquì sit ignarus in ipsa. Atquè rem hanc ita esse, vt à me nunc est expositum, ex Aristotele ipsò quisq; discere potest; nam omnes Libri eius, sunt referti Exemplis, quæ perspicuè id ostendunt, nec Res vlla, aut Quæstio, ab eo planè tractatur, quæ tota ad normam horum Habitum non sit explicata. Nam ex notione Rei eius quam tractat, vel ex notione Finis quem propositum habet, omnia inuenit quæ ad ipsum faciunt, & Viam etiam reperit atquè rationem, qua declarari possunt. Etenim Libros de Demonstratione, ita conscriptos esse supra à nobis clarè ostensum fuit tota ratio atquè ordo quo tradita fuit Doctrina illa, est fermè verum Exemplar huius Habitus; nanquè ex

tota ratione tractandi, quam ibi ad eam materiã applicet, perspicimus eum in primis Mente & Animo comprehendisse notionem Demonstrationis, quæ est Argumentatio gignens Scientiam. Et cum sibi proposuisset de hac docere ex notione huius, primum inuenit totam Materiã Rerum, quæ pertinet ad ipsam, & ita postmodum tota hæc Materia certo Ordine & Via traditur; nam in primis de ijs disputat, quæ magis generalia sunt, & ita ex ordine, ad extremũ ad illa peruenit ex quibus propriè, primò, & per se Demonstratio est efficienda. Et istud totũ haustum fuit, ex cognitione Finis, quem propositum habebat in illis Libris. Vnde confitendum est Prænotionem huius, vel Materiæ subiectiæ, magna ex parte instruere nos de Re ipsa, et erudire in Methodo, qua Natura eius est tradenda. Nec id temere, aut casu accidere putandũ est, sed iure meritoq; fit; etenim Notio Rei, vel Finis implicitè continet omnia, quæ ad ipsam pertinent Hanc igitur, dum aliquis secum diligenter contẽplatur, euoluit inuolutas eius notiones, & eas explicatè distincteq; postmodum declarat. Hanc intuens Aristoteles in Libris de Moribus ad Nicomachum, ex hac primum inuen it

uen it

uenit eam Materiam quæ ibi traditur, non posse explanari Methodo demonstrandi. Et item, Adolescentes non esse magnopere aptos ad eam percipiendam; nanquè materia eorum Librorum, ex Actionibus, quas agunt Homines in Vita, tota assumpta est. Adolescentes autem rudes sunt in Actionibus, & Moribus Hominum, nec possunt erudiri de his explanatione aliqua; quoniam Actiones solo usu, & diuturna obseruatione, ac consuetudine simul viuendi comprehenduntur. Id autem in Adolescentibus inesse non potest; diu enim in vita non fuerunt, & ob hanc causam cognitas non habent Actiones ipsas: ex quo ipsis deest prænotio Rei, de qua inquiritur in illa Scientia, & propter hoc non possunt tenere Habitum percipiendi illa, quæ de Actionibus docentur. itaquè non sunt valdè idonei ad hoc. Ac planè mihi Locus iste, non solùm apertè ostendere, sed clara voce fermè loqui videtur, Prænotionem Materiæ, esse ferè Habitum eum, in quo instituì debet, qui ea discere cupit, quæ de ipsa explanantur; patet enim, ob eam rem solam Adolescentes exclu di ab hac Disciplina Morum, & Actionum, quia non possunt, ante perceptas habere ipsas

Actiones,

Actiones, de quibus ibi inquiritur. Etenim ipsis accidit, vt simul audiuere ex Præceptoribus suis, cùm dicunt id iustè agi, illud iniustè, istud Aequum esse, illud Iniquum, ferè peregrinentur Aures, et Animi ipsorum, nec exquisitè capiant., quod de Re sibi ignota dicitur. Etenim tanquam Hospites, ac Peregrini ad eam Disciplinam accedunt, & ob id non possunt neque Aures (vt ità dicam) erigere, aut Animum attendere ad ea, de quibus non sunt adhuc instructi. Itaquè clarè cognoscitur ex istis, non posse quidquam ab aliquo de re aliqua percipi, nisi eruditus in Prænotione eius, ad eā intelligendā Animum intendat. Et hæc eadem prænotio Materiæ quæ in Disciplina Morū tractatur, docuit Aristotelem non posse Methodo demonstrandi ea declarari quæ ad Naturam eius attinent; sunt enim Mores, & Actiones Hominum multiplices, nec vniusmodi; vndè non semper atquè eodem modo sese habent. Ex quo Demonstratio in his locum nullum tenet,

CAPVT V.

¶ Tradit quasdam præceptiones, quas si quis Animo diligenter comprehensas habeat, ex istis in quaque Materia proposita, facilè noscet, quo habitu ipsa percipi & declarari valeat.

AC licèt fortasse ista quæ hactenus à me de hoc Habitu allata sunt, satis exprimant formulã eius: tamen nõ vereor, ne nimis longus in hac re explananda videar: nam ad multa utilia esse arbitror, quæ nunc à me scribuntur, & latè ipsa explano; quia in his scribendis id planè mihi est propositum, vt quidquid à me traditur perspicuè à quouis intelligatur. Etenim ob eã causam in his laboro, vt si quid vtilitatis in se ista habent, id à quouis facilè capi possit. Pergam igitur quædã alia Exempla ex Aristotele adducere, quæ illa nota efficient, quæ adhuc nobis desunt, ad plenam huius Habitus notitiã assequendam. Tota materia eorum Librorum, qui ab Aristotele perscripti sunt De Animalibus, complectitur omnia Genera Animalium, singulas Partes, ex quibus ipsa constructa sunt & ea, quæ insita in eis esse cernimus. Vndè ista omnia debent poni tanquam præcognita, ante quam

quam quid aliud de ipsis tradatur, idest antequam afferatur aliqua causa eorum, quæ in Animalibus apparent. Verbi Gratia antequàm reddat Aristoteles causam, cur Homo habeat figuram Corporis rectam, & cur Boues ex his atque istis Corporis Partibus constructi sint, & alia, necesse est, vt notum sit ista esse: & ita explicetur, causa cur sint, aut cur talia sint. Etenim notitia horum omnium est distincta à Scientia ipsa; quia aliud est scire aliquid ita esse, & aliud cur ita sit. ob hanc causam de istis seorsum est explicandum. Quod ab Aristotele perfectum esse quisq; cernit; etenim reliquit nobis totam hanc materiam perscriptam Libris quibusdam separatim ab alijs, vultq; ex hac materia gigni in nobis Habitum, quo ipsa perdisci potest. Quod verum omninò est; nam quisquis perspectas Animo tenet Methodos narratas in superioribus Libris, is ex notitia Materiæ huius, inueniet quænàm Methodus apta sit, ad eam tradendam, & iudicabit de ipsa, rectè ne tractetur, aut non rectè. Sed diceret fortasse hoc loco aliquis, hæc quæ abs te dicta sunt, verè quidem narrata esse apparet, sed difficilè admodum factu est, ex sola quadam,

& simplici notitia Materiæ, eruère Normam, et Regulam qua ipsa explanari debet; nam sæpe fit, vt ipsa multas partes in se contineat, quæ aliter atquè aliter declarari debent. et deniquè notio hæc confusè solum tenetur. Itaquè falli quis in hoc potest. Vndè præcepta quædam de hac re danda sunt, qua nos intuentes, de omnibus ordine, et certa via disputare valcamus. Atquè certè nulla nequè præstantior, nequè certior Præceptio de hoc tradi potest, quā id quod dictum fuit; caput enim in hac re efficienda est, vt diligenter secum quis de Notione Nominis Rei eius, quam explanare in Animo habet, cogitet, vel Notionem Finis eius, quem propositum habet, secum diligenter consideret; ex hac enim sola Notione Nominis, se se ostendunt nobis quædam Capita, vel quædam Quæstiones, quæ si exercitati simus in Methodis, nobis ante oculos fermè exponunt formam, & modum, quo Res tota declarari probè potest. Idquè cognoscitur ex ipso Aristotele; nam is solam hanc Præceptionem sequens, inuenit Methodum, qua eam Scientiam de Natura Animaliū, præclarè & rectè Literis conscriptam nobis reliquit; tum etiam ostendit, nihil de ea probè fuisse

se

ſe à Veteribus traditum Eritque non inutile, hoc in loco de hac eadem diligenter inquirere; nam copiosè apud ipſum, in Primo de Partibus Animalium, hæc tota perſcripta eſt, videreq; licèt ipſum de induſtria, Ob eam cauſam de hac diſtinctè, & accuratè diſputare; vt nos ad ipſum imitandum inſtrueret. Igitur pro Exemplo propoſitum ſit, tradere Scientiam de Natura Animalium. atque hic ſit Finis, ad quem omnia referenda ſunt quæ exponi debent. Duæ ſunt Notiones Nominum, quæ Finem hunc declarant; ideſt Scientia, & Animal. de Nomine Scientiæ paulò poſt erit agendum prius de Nomine alio inquiramus. Animal eſt Nomen Generale, quod complexu ſuo multa, & diuerſa Genera continet, quæ inter ſe differunt; nam alia ſunt Aerea, alia Terreſtria, alia Aquatilia: quodquè etiam ex his, varias & inter ſe diſcrepantes Species complectitur; nam differt alia, Species ab alia, nec eadem omninò eſſe poteſt, quæ & alia, ſed multa quoque in omnibus eſſe apparent, quæ eadem fermè ſunt; nam Somnus, Vita, Mors, Senſus, & alia quædam, in ipſis extare cernimus, quæ inter ſe ſe eadem in ſingulis ſunt. Itaque ex Notione huius Nominis

minis, tum ista tum alia multa existunt, de quibus singulis Scientia inquiritur, & antequã de his aliquid tradatur, videndum est quo ordine singula disputare oporteat; nisi enim ad rectam, & certam quandam Methodum tota Disputatio dirigatur, nullam firmam veramquè Scientiam horum afferet. percipiturq́ ex re ipsa, hanc Inquisitionem, esse distinctam ab Habitu Scientiæ, & totam Materiam Rerum, confusè ex Nomine ipso suppeditari Vnde Aristoteles qui solus quid in his conueniat vidit, ait, in primis Materiam Rerum quantum fieri potest, distincte esse exponendam: narranda igitur simpliciter singula Genera Animalium, & accurate quæ in ipsis insunt, commemorari debent, & partes singulæ ex quibus quodq́ constructum est, patefaciendæ oratione sunt. Cur autem istud primum faciendum sit, quisquis est exercitatus in Methodis, facilè cognoscet. Nanquè suprà multis rationibus explanatum fuit, Materiam de qua Scientia inquiritur, non esse omninò cognitam, sed aliqua ex parte esse notam, & ex alia ignotam. Nequæ enim, Scientia vlla quæri potest, nisi prius notæ sint Res de quibus ipsa est habenda; istas enim opor tet

tet afferre cognitas, ad Scientiam comparandam, & de istis post inquiritur cur ita sint, & quid sint, estque notum illud, quod fermè in ore omnium, qui in Logicis mediocriter institu ti sunt versatur; id est de Re subiecta ipsi Scientia, duplicem habendam esse praenotionem; idest tum quod ipsa sit, tum quid Nomen ipsius denotet. Itaque si Scientia Animalium tradi debet, stabilienda est his praenotionibus. Idquè cognoscens Aristoteles, statim affirmat totam Materiam hanc quae pertinet ad Scientiā Animalium, esse ponendam ante oculos, vt perspicuum sit de quibus Scientia quaeratur: sed istud satis, non est ad Scientiam hanc percipiendam. verùm quia multiplex est tota ista Materia, nō confuse praenosci debet, sed distinctè, & certo ordine, ac perspicuo narrari habet. Itaque cū alia generaliter in quaque Specie Animalis insita sint, vel quia est Animal, alia sint propriè in singulis, vel quia talia sunt, ait, totam tractationem horum, esse distribuendam in duas partes; nam quae Generaliter in quoque Animali inhaerent, separatim inquirere opus est. Atquè ita priuatis quibusdam Voluminibus ea explananda esse ait quae tum ad Vitam atq;

Mortem, tum ad Somnum, atquè ad Sensus attinent, post de singulis Speciebus Animalium docendum erit, quæ & qualis quæquè sit, & ex quibus Partibus constructa fuerit, & quãobrem aliqua propriè in se ipsis habeant; nisi enim tota explanatio ita partita ab aliquo sit fiet vt nihil rectè tradi possit. Nam quis cogetur, de ijs quæ Generaliter in quoquè insunt, in tractandis Singularibus Generibus inquirere. vnde inutiliter sæpe de eisdem differet. Ex quo ità facienda est distinctio totius huius Materiæ, vt quæ non sunt Propria singularũ Specierum, segregentur à Proprijs, & seorsum explanentur. Patetquè totam hanc Inquisitionem præcedere Habitum Scientiæ Animaliũ, & totam proficisci ex ijs, quæ ex hac voce Animal *se se ostendunt. Videamus etiam, an Nomen Scientiæ in aliqua alia re nos instruat. Ac profectò (vt breuiter rem ipsam attingam) Notione huius, declaratur quærendas esse causas necessarias rerum omnium, quæ tractantur; aliter enim Scientia de his capi non potest. Perspicuumq́ est etiam, solas causas necessarias assumi ex Fine ipso. vnde si in reddenda causa de singulis ijs quæ in Animalibus insunt, Finis ipse*

ipse nobis propositus erit, Scientia Rei afferetur à nobis: aliter verò, ab ipsa aberrabimus. Atque ista omnia, vt à me nunc tacta sunt, ità etiam ab Aristotele expressa fuerunt; declarantq́; locos, ex quibus Aristoteles inuenit Habitum hunc, vel rationem, ac viam, qua vera Scientia Animaliũ percipi tradiquè potest. Nec satis dignè cõmendari Valet, diligentia tanti Viri, qui Exemplar, Formamq́; huius Habitus, oratione sua preclarè depictã nobis reliquit, vt imitatores ipsius essemus nec ĩ aliquã re, aut cogito scẽda, aut explananda a nobis laboraretur, nisi prius habita fuisset ratio de Methodo, quã istud rectè effici posset. Ac certè, aut nihil omninò est philosophandum, aut si quid philophari placet, dementia est non sibi proponere ad imitandum hunc morem docendi, quem studiosè ab illo seruatum esse apparet: Etenim alijs Philosophis omnibus ob eam rem meritò præstantior est habitus, quoniam totam Doctrinam suam, ad normam huius Habitus eruditè traditam nobis reliquit; solus namquè cognouit, in quoquè Genere Rerũm de quo disputatur, impressam esse Imaginem huius Habitus, nec posse de illo quid percipi, nisi quisquè hunc sibi adiutorem ad id

præ-

præstandum sumat. Ex quo summe laborandũ est, vt quisquè egregiè instructus in hoc sit.

CAPVT VI.

¶ Primùm ait se velle diligenter inquirere de Habitu, qui sigillatim applicandus est ad quamque Materiam explanandam; & dicit non posse hunc distinctè, ac perfectè cognosci, nisi quis Rem quam tractandam sumit, antequam quid de illa explicet, in quæstionem illam adducat, quæ propria sit eius cognitionis, quam de illa inquirit. Et de hac re multa disputat, declaratquè quid Quæstio sit, & cur ex ipsa is Habitus facilè percipi valeat.

SED vt ab hoc Habitu nemo nostrum aberrare possit, facileque nobis cogitantibus de ipso in quaquè materia is occurrat, existimo non esse ab re, quadam magis distinctè hac nostra oratione explanare, quæ nos ad quanquè Rem tradẽdam instruent, & Habitu illo informabunt, qui est proprius cuiquè Rei & Scientiæ, nec falli in hoc aliquis poterit. Itaquè Caput in hoc est, ut in quauis Re explananda, antequàm aliquid de ipsa à nobis doceatur, quisquè nostrum sibi primùm constituat, quæ & qualis sit Res illa, quam declarandam proponit, & quænam cognitio ex ea capi possit; nam si ista accuratè constituta fuerint, facile factu erit, eam Metho

thodum ad ipsam accommodare, qua verè & certè, tum percipi, tum explicari omnia poterunt, quæ ad ipsam conuenire videbuntur. Atquè istud, quod nunc dico, tale omninò à quouis haberi volo; etenim cognitum est, ex Rebus ipsis alias Natura ità esse, vt per se consistent, alias verò vt in aliis insitæ sint. Corpora Naturalia, & alia omnia quæ in Genere Substantiæ collocantur, per se extant: in aliis inhærent, quæ in reliquis nouem Summis Generibus continentur. Atquè in his omnibus patet, aliam esse cognitionem, qua percipimus Rem aliquam ex istis per se extare, aut in aliis inhærere: aliam verò per quam intelligimus, quid illa sit, quæ constat per se, aut cur insit in aliqua alia, ea quæ alicubi inhæret. Atquè res hæc, sic omninò est vt quem admodum inter se discrepant ista Genera Rerum, ità quoquè habeant discrepantes cognitiones, & cognitio quæquè, sua & sibi propria quadam Methodo acquiratur. Ex quo primum illud laborandum, à quoquè est, vt antequàm literam vllam de aliqua Re scribat, aut Verbum vllum faciat de ipsa diligenter perspiciat, quæ, & qualis sit Res, quam interpretandam sumit, & quam notitiam de

ea capere velit. Istud verò facilè assequetur, si ab initio id de quo inquirit, & quod declarandum suscipit, in Quæstionem quæ sit propria Rei vocet; namquè hoc pacto dilucidè cognoscet id, quod explicari ab ipso debet, & facilius Animus noster, ad certam Rei Scientiam peruenit, si proposita Quæstione de ipsa inuestigat; cernitur enim ex ea quid sit id, quod propriè de Re ignoratur Istudquè solum explanare nos oportet: alia omninò aut relinquenda, aut pro notis ponenda. Atquè hoc itinere, ad Scientiam Rei incedendum esse, ex eo percipere licèt quòd & Scientes, & Inscientes, hac ratione ad ea intelligenda vtuntur, quæ ipsis ignota sunt. Etenim quisquè horum, si quid incognitum habeat, atquè id percipere studeat, de hoc primum inquirit & Quæstionem suam ad id propriè accommodat, quod ab eo ignoratur. Ex quo hanc viam in nobis fermè ingenitam esse apparet; instruimur enim per nos ipsos, vel proprio quodam Ingenij nostri lumine ad Quæstiones formandas de quaquè Re, nec opus habemus in hoc Doctore aliquo. Vndè ab hac regula nos recedere nullo pacto decet, sed ad hanc tota nostra tractatio dirigenda est; etenim

nim si quis rem hanc Mente sua aliquantulum cogitet, reperiet ista omninò contineri in Explanatione, quam de Re aliqua quis facit. Nam vt à principio Res ignota fuerit necesse omninò est, & hac ignoratione excitatur Desiderium cognoscendi id, quod ignoratum est. Istud verò patefacimus Quæstione ob eam causam, quoniam facilius hoc modo intelligi posse existimamus, id quod propriè ignoratur, & quod propriè percipere expetimus. Atque ista omnia, à nobis effici sola Natura nostra Magistra apparet. Ex quo Prudentis erit, hanc eius præscriptionem atquè regulam, in quaquè re explananda sequi, & illud consilij omnino Capere, vt antequam quid de re aliqua quispiam disputet, diligenter secum consideret, quid re ipsa in quæstionem veniat, & ad id solum omnem explanationem suam accommodat. Est autem Quæstio hæc, de qua in præsenti verba facimus, Appetitio cognoscendi per inuestigationem, id quod de re à nobis ignoratur. De hac igitur, (quandoquidem hæc sola nobis aditum dare valet, ad inueniendam Methodum, qua quæquè res explicari rectè potest) breuiter inquirendum est, quæ nam ipsa sit, & qualis, atquè

atquè quot ſint eius genera, & quid in quaquè ex illis quæratur. Et quanquam iſta apud Ariſtotelem legi poßint, tamen puto non eſſe inutile, de his eiſdem à nobis hic diſſeri; partim quia delucidiora (niſi me fallo) hac noſtra explanatione iſthæc omnia efficiuntur; partim quia magis diſtinctè ex iſtis percipi poteſt, quis Habitus ad tractationem cuiusquè rei cōueniat. vndè facilius erudiri quiſquè valet in re, quæ propoſita nobis eſt ab initio in hoc Libro. Videre itaquè licèt ex ijs quæ allata nunc ſunt, ita factā eſſe Intelligentiam noſtram, vt primum de Re quam ignotam habet perquirat, poſt in eius cognitionem hac Duce feratur. Ex quo perſpicuum fit, Quæſtionem ſic iunctam eſſe Cognitioni, vt ipſam præcedat nec fermè poſſe cognitionem capi, niſi ipſa Qęſtio antegreſſa ſit. Et quanquam à nobis ipſis (ſicuti tactum fuit) parati ſumus ad Quæſtiones formandas, tamen id ſatis non eſt, ad eas perfectè intelligendas; nam ſolum extat in nobis Appetitio cognoſcendi, qua inducimur ad inquirendas Res, vt eas cognoſcamus, nec quid aliud à nobis ipſis de his ſcimus, ex quo diligentius de iſtis inueſtigandum eſt, & quid quaquæ propriè perqui-

quiratur ostendendum, aliaquè omnia colligenda, quæ ad id, quod susceptum nobis est in hoc Libro vtilitatem aliquam conferre possunt.

CAPVT VII.

¶ Declarat adhuc magis perspicuè, nullâ alia ratione posse reperiri Habitum, qui sit aptus ad quanque Rem tradendam, quàm ex Quæstionibus ipsis. & accuratè de hac re disserit.

CONSTAT autem ex eâ definitione, quæ tradita de Quæstione est, Ignorationem esse causam, quæ primo nos monet ad quæstiones proponendas, finem verò ob quem ipsas ponimus, aut aliquid inquirimus esse desiderium cognoscendi; vel cognitionem ipsam. etenim de ijs solum vel nobiscum ipsis perquirimus, vel ab alijs quærimus, quæ ignorata sunt à nobis, & ob eum finem, vt ipsa cognoscere valeamus. Atquè vbi quid cognitum est, abit quæstio de ipso, ex ea parte, qua cognoscitur: dum verò manet ignoratio eius, illa existit. Percipiturq; ex hoc non aliam atquè aliam, sed eadem omnino esse rem, quæ primò & ignoratur, & quæritur & postremò, etiam cognoscitur. ex quo fit, vt rectè scriptum sit, ab Aristotele,

tot esse ea, quæ inquiruntur, quot sunt illa, quæ scimus; nam paria inter se se, & æqualia numero isthæc omnia sunt. & ità res est, vt cuiq; quæstioni respondeat aliquod genus scientiæ, et quæquè scientia possit transferri ad aliquod genus quæstionũ. Cum verò genera quæstionum sint tantum quattuor, & quodq; ipsorum habeat sibi propriam quandam Methodum, qua tractari debet, ostenditur ex hoc has primum esse nobis proponendas in inuenienda Methodo, quæ sit accommodata ad quærendam, vel tradendam scientiam rei alicuius. etenim fiet, vt eademmet Methodus, per quàm explanatur quæstio, sit etiam apta ad scientiam rei tradendam: immo verò nihil aliud est quæstionem explanare, quàm rei eius, quæ in dubium venit, scientiam, vel cognitionem omnino declarare. Itaquè ex istis quisq; cernere potest, nihil omninò differre Methodum, qua quæque rei scientia proprie est tractanda, ab ea, qua quæstio respondens illi scientiæ verè explicari solet. Atquè si hæc omnia non aliter sunt, atquè à me nunc exponuntur, perspicimus ex his hunc habitum, quem quærimus, et quo informatus quisquè esse debet in quaquè

scientia

E

Genus

I

Quæstio

T

V

FINIS.